

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM  
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS  
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

CONRADUS CELTIS PROTUCIUS

LIBRI ODARUM QUATTUOR  
LIBER EPODON  
CARMEN SAECULARE

EDIDIT

FELICITAS PINDTER

MCMXXXVII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

**SAECULA XII—XIII.**

P. magister quondam Bele regis Hungarie notarius, *Gesta Hungarorum*, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 5.40

**SAECULUM XIII.**

De orthographia (incerti auctoris), ed. L. K. Born. (Apparebit.)  
Garlandia, Iohannes de, Integumenta fabularum Ovidii, ed. L. K. Born. (Excuduntur.)

**SAECULA XIII—XIV.**

Dantes Alagherius, Epistolae, edd. H. Nachod—P. Stern. (Apparebunt.)

**SAECULA XIV—XV.**

Ravenna, Iohannes de, Epistolae, ed. L. Smith (in II tomis). (Excuduntur.)

Salutatus, Coluccius, De saeculo et religione, ed. B. L. Ullman. (Apparebit.)

**SAECULUM XV.**

Barbarus, Franciscus, Epistolae, ed. P. Gothein. (Apparebunt.)

— Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis, ed. P. Gothein. (Apparebunt.)

Barius, Nicolaus—Kostolan, Georgius Polycarpus de—Hungarus, Simon—Zagabriensis, Georgius Augustinus, Reliquiae, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 1.50

Bonfinis, Antonius de, Rerum Ungaricarum Decades, edd. I. Fögel—B. Iványi—L. Juhász (in IV tomis).

Tomus I. — Decas I. Cum introductione et tribus imaginibus codicum phototypicis. 1936. — — — — — 14.—

Tomus II. — Decas II. 1936. — — — — — 13.—

Tomus III. — Decas III. 1936. — — — — — 13.—

Tomus IV. — Decas IV. et V libri décadis V. relicti et index nominum. (Excuduntur.)

Brandolinus, Aurelius Lippus, Dialogi, ed. P. Angyal. (Apparebunt.)

Callimachus Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia, ed. T. Kardbs. 1932. — 1.70

Corsinus, Amerigus, Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem, ed. L. Juhász. 1934. — — — — — 2.—

Cortesius, Alexander, De laudibus bellis Matthiae Corvini Hungariae regis, ed. I. Fögel. 1934. — — — — — 2.—

Facius, Bartholomeus, Invectivae in Laurentium Vallam, ed. R. Valentini. (Apparebunt.)

Ficinus, Marsilius, Epistolae, ed. P. O. Kristeller. (Apparebunt.)

Galeottus Martius, v. Martius Narniensis, Galeottus.

Hungarus, Simon, v. Barius, Nicolaus.

Ianus Pannonius, v. Pannonius, Janus.

Kostolan, Georgius Polycarpus de, v. Barius, Nicolaus.

Vide paginas 3. et 4. involucril

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM  
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS  
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

CONRADUS CELTIS PROTUCIUS  
  
LIBRI ODARUM QUATTUOR  
LIBER EPODON  
CARMEN SAECULARE

EDIDIT  
FELICITAS PINDTER

MCMXXXVII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Tq kot

114 955



EXCUDEBAT LEOPOLDUS BARTOS, SZEGED.

## INTRODUCTIO.

### *I. De vita et scriptis Conradi Celtis Protucii.*

a) *Vita.* Celtis Calendis Februariis anni 1459. in pago Wipfeld (prope Heribopolim in Franconia) natus est. Cum puer studium bonarum artium, quorum elementa a propinquuo quodam clero didicit, culturae vitium et negotio pastorali a patre sibi destinato praeposuisse, adulescentulus duodevinti annorum domum patriam fugit et nave in Meno Rhenoque Coloniam Agrippinam profectus est. Postquam in gymnasio aliquamdiu liberalibus artibus et theologiae studuit et in baccalaureatus gradum elevatus est, regiones gentesque Germaniae perirendi et litteras docendi causa peregrinari coepit. Motus deinde fama Rudolfi Agricolae et eius fautoris Ioannis de Dalberg Vormatiensis episcopi Heidelbergam adiit, ubi studiis humanitatis totum se dedit; anno 1485. magister artium promotus est. Annis proximis peregrinus et docens et audiens gymnasia Germanica visitabat spiritu humanitatis iuvenes accendendi cupidus. Cum aestate anni 1486. Lipsiae vitam ageret, Artem versificandi et carminum edidit, cuius dedicatione Fridericum III. electorem Saxoniae sibi fautorem conciliavit, quo adiutore die 18. mensis Aprilis anni 1487. in arce Norimbergensi a Friderico III. imperatore primus inter Germanos poetica lauro coronatus est; imperatori gratias in Proseutico egit. Studia sine cognita Italia fonte renascentium litterarum imperfecta ratus paulo post coronationem Alpes transiit clarissimos philosophos Patavii, Ferrariae, Bononiae, Florentiae, Venetiis, Romae auditum. Per Hungariam rediens Cracoviam petit, ubi per duos annos praesertim studiis mathematico—astronomicis vacavit multosque amicos sibi conciliavit. Deinde per Vratislaviam et Pragam in Germaniam meridionalem reversus exente anno 1491. vel ineunte proximo in gymnasio Ingolstadensi docere coepit, ubi orationem inauguralem habuit eandemque una cum Panegyri ad duces Bavariae et eodem anno (1492.) Epitoma in utramque Ciceronis rhetorica lectionibus edidit. Primum familiaritate doctorum virorum usus docendique munere satis contentus Academiam Platonicam ad bonas litteras curandas, uti Florentiae et Romae cognoverat, condere volebat, ex quo consilio postea Sodalitates litterariae ortae sunt, sed mox variis aerumnis affectus et spe iusti dignique stipendii deceptus, invidia denique quorundam collegarum poeticae non faventium impeditus et oppidum et lecturam odiosam putans variis peregrinationibus lectiones interrumpebat. Quamquam his annis praeter alteram editionem Artis versificandi et Carmen ad sanctum Sebaldum nihil edidit, tamen omni studio ad varia opera incubuit, praesertim ad Amores et Odas, in quibus Ovidium et Horatium secutus vitam, amores, amicos, peregrinationes ac studia poetico ornata descripsit. Nec prius tutum portum vagus poeta nactus est, quam cum anno 1497. a Maximiliano I. imperatore Romanorum in universitatem Viennensem vocatus esset, quae tunc studiis humanitatis florentissima fuit. Hic maximo cum honore iuvenes docuit et litteras coluit. Plurima opera incepta Viennae ad finem perduxit et partim typis excudenda curavit, scriptores antiquos in studiosorum usum, item Germanos edidit, collegio poetarum et mathematicorum ab imperatore anno 1501. condito praepositus inter alias disciplinas musicam, cuius amator semper erat, summa diligentia colendo scaenicos ludos composuit, quos harmoniis et saltationibus cum discipulis publice egit. Haec et alia culta studia immatura morte Celtis abrupta sunt. Pridie Nonis Februariis a. 1508. Viennae in bursa S. Annae mortuus et luctu doctae Germaniae in coemeterio S. Stephani sepultus est.

b) *Scripta.* Ars versificandi et carminum (1486.). Editio duarum tragoeiarum (sc. Herculis furentis et Coenae Thyestis) Senecae (1487.). Proseuticum ad Fridericum III. pro laurea Apollinari (1487.). Epitoma in utramque Ciceronis rhetorica cum arte memorativa nova et modo epistolandi utilissimo (1492.). Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata una cum panegyri ad duces Bavariae et aliis carminibus (1492.).<sup>1)</sup> Editio altera Artis versificandi et carminum (c. 1494.). Carmen Sapphicum ad Sanctum Sebaldum (1495.). Editio operis Apulei De mundo (1497.). Epigrammata titulo Oeconomiae collecta (1499/1500.). Editio Propositionum cardinalis Nicolai Cusae De li non aliud et Carmen saeculare (1500.). Septenaria sodalitas litteraria Germaniae et Minorae carmina Ausonii (1500.). Editio Germaniae Taciti. Germania Generalis (1500.). Ludus Diana (1501.). Opera Hrotsvitiae a Celte Ratisponae inventa et primum edita (1501.). Carmen ad Charitatem Pirckheimer (1502.). Quattuor libri Amorum <sup>2)</sup> una cum aliis operibus (sc. Germania Generali, De

<sup>1)</sup> Nova editio ab Iohanne Rupprich curata in hac Bibliotheca, Lipsiae 1932.

<sup>2)</sup> Novam editionem Amorum et Germaniae Generalis curavimus in hac Bibliotheca, 1934.

origine, *situ*, moribus et institutis Norimbergae libello,<sup>3)</sup> Vita S. Sebaldi, Ludo Dianae) partim inediti, partim iam editi (1502). Rhapsodia (1505). Melopoeia Petri Tritonii Celte auctore editae (1507). Ligurinus a Cete inventus et a Sodalitate litteraria Augustana editus (1507.). Libri Odarum quatuor (1513). Libri Epigrammatum quinque (1881.). Germania illustrata ad finem non perducta. Epistolae (1934).

**De Conrado Celte v. profusius:** *E. Klüpfel*, De vita et scriptis Conradi Celtis Protucii tt. I-II. (ed. J. C. Ruet & C. Zell) Friburgi Brisgoviae 1827. *I. Aschbach*, Roswitha und Conrad Celtes, II. Aufl. Wien 1868. — Die früheren Wanderjahre des Conrad Celtes, Wien 1869. — Geschichte der Wiener Universität. t. II. Wien 1877. *C. Hartfelder*, Konrad Celtes und der Heidelberger Humanistenkreis (Histor. Zeitschr., t. 47, Neue Folge t. II.) 1882. — Der Humanist Celtes als Lehrer (Jahrh. f. Philologie und Pädagogik, t. II., a. 29) 1883. — Konrad Celtes und Sixtus Tucher (Zeitschr. f. vgl. Litgesch. Neue Folge III.) 1890. *Fr. Bezzold*, Konrad Celtes, der deutsche Erzhumanist (Histor. Zeitschr. t. 49) 1893. (Iterum ed. in Aus Mittelalter und Renaissance. München 1918.) *B. Hartmann*, Konrad Celts in Nürnberg (Mitt. d. Vereins f. Geschichte d. Stadt Nürnberg, t. VIII.) 1889. *Th. Geiger*, Conrad Celts in seinen Beziehungen zur Geographie, (Münchener Geogr. Studien, t. II.) 1896. *Fr. Moth*, Conradus Celtis Protucus (Danice), Kolding 1898. *G. Bauch*, Die Anfänge des Humanismus in Ingolstadt (Histor. Bibl., 13) München 1901. — Die Rezeption des Humanismus in Wien, Breslau 1903. *G. Manacorda*, Celtis' Gedichte in ihren Beziehungen zum Klassizismus und italienischen Humanismus (Studien z. vgl. Litg. t V.) 1905. *A. Werminghoff*, Conrad Celts und sein Buch über Nürnberg, Freiburg i. Br. 1921. *G. Ellinger*, Italien und der deutsche Humanismus in der neulateinischen Lyrik, t. I. Berlin 1929. *P. Joachimsen*, Der Humanismus und die Entwicklung des deutschen Geistes (Deutsche Vierteljahrsschrift f. Literaturwissenschaft u. Geistesgesch. t. VIII.) 1930. *Jo. Kupprich*, Der Briefwechsel des Konrad Celts (Introductio) München 1934. — Konrad Celtes und der Nürnberger Ratsherr Hieronymus Haller (Mitt. d. Vereins f. Gesch. d. Stadt Nürnberg) 1935. — Deutsche Literatur; Reihe Humanismus und Renaissance, t. II. (Introductio). Leipzig 1935.

## *II. De codicibus et editionibus.*

N - Norimberga (Stadtbibliothek), Cod. Cent. V. Ms. App. 3, saec. XV-XVI., chart., in fol. ang. - Codex Celtis, ut ex armis et inscriptione eius (Con. Celtis Pro. poete sum) videmus, erat; a famulis eius scriptus et multis notis marginalibus manu Celtis correctus est. Codex 111 folia<sup>4)</sup> continet, quorum 11 vacant; fol. 1r tit.: In hoc libro continentur opera Conradi Celtis in poetica. 1v-2v vacant; 3r-4r Index odarum<sup>5)</sup>; 4v-5r Index elegiarum; 5r Index epodon; 5v-9v Index epigrammatum; 10r-11v vacant; 12r-22v liber I. odarum; 23r-33r liber II. odarum; 33v-38v liber III. odarum mancus (post 14, 5 aliquot folia desunt); 39r-40v liber IV. mancus odarum (4, 5-9, tit.); 41r-49r vacant; 49v-75v quattuor libri amorum cum carminibus amicorum ad Celtem; 76r-v vacant; 77r-81r liber epodon; 81r-v carmen saeculare; 82r-111r quinque libri epigrammatum. - Codicem ipse Celtis postremis vitae annis Viennae describendum curavit, ut e nota marginali fol. 81v videmus<sup>6)</sup>; testamento enim opera inedita Conrado Peutinger et Ioanni Reyman de Eringen impressori ad imprimendum Augustam Vindelicorum mittenda constituit<sup>7)</sup>. Codicem senatus Norimbergensis a doctore Sebastiano Hornmold a. 1633. duobus senatus consultis emit<sup>8)</sup>. - Fundamento editionis nostrae plerumque hunc codicem posuimus, cuius textum a poeta ipso indubitate approbatum habemus; correctiones editionis postumae a. 1513. editiae (o), quam nonnumquam sequi cogebamur, a Celte an ab amicis editoribus factae sint, incertum est. Lectiones variantes carminum intra annos 1500. et 1508. editorum omisso codice N plerumque secutae sumus<sup>9)</sup>; editionem anni 1513. (o) tunc plane sequebamur, cum carmina codici manco N desunt et intra annos 1500. et 1508. non edita sunt.

G - Norimberga (Germanisches National-Museum), Merkelsche Sammlung, Ms. 1122, fol. 72r—v<sup>10</sup>). — Nonnullas strophas ex variis odis electas ad imagines Apollinis, Musarum, septem sapientum alioruusque in domo Sebaldi Clamosi Norimbergae pictas continent: I. 5, 117—124; 8, 65—68; 11, 21—28, 73—80; 20, 53—60; 23, 21—24; II. 22, 45—48; 25, 33—40; III. 4, 9—28, 41—44.

<sup>3)</sup> Tunc primum in lucem prodit.  
<sup>4)</sup> Duae foliorum codicis numerationes sunt, quarum inferior est antiquior; nos superiore, quae folia vacua quoque complectitur, utebanur; ambae numerationes tunc inscriptae sunt, cum iam folia amissa erant.

5) Index carminis 24. lib. I. deest; carmen 2. lib. IV., cuius textus desideratur, in Indice notatur: ad Fusemannum, et verbum initiale: Fusemannae; index carminis 5. lib. IV., cuius textus desideratur, deest; post indicem carminis 8. (in editione nostra 9.) indices reliquorum carminum desunt.

<sup>6)</sup> V. Annotationes Criticas ad Clausulam scriptas post Carmen Saeculare.

<sup>7)</sup> Cf. Rupprich, *Der Briefwechsel des Konrad Celtis*, München 1934, p. 606.

<sup>6)</sup> Cf. E. Mummendorff in *Mitteilungen des Vereins für Geschichte der Stadt Nürnberg*, VIII. (1889), p. 251. sq. <sup>7)</sup> Cf. *editiones c, s, a, r.*

<sup>10)</sup> Typis excusa a Theophilo Sincero in Bibliotheca historico-critica, Norimbergae 1736. p. 349. sqq. et iterum a Iohanne Rupprich, Berlwechsel, p. 148. sqq.

M - Monacum (Universitätsbibliothek). Cod. Ms. 782, No 17., saec XV.  
Codex Celtis manu scriptus continet carm. 11. lib. II. <sup>11)</sup>

S - Monacum (Bayerische Staatsbibliothek). Clm. 447., saec XV-XVI.  
chart. - In fol. 266r—267v carm. 2. lib. II. legitur. Quod ad textum attinet,  
codex affinitatem cum editione e habet.

U - Upsala (Biblioteca Universitatis), Cod. Upsal. Hist. 8., fol. 46., saec.  
XV. - Codex manu Ioannis Wimpfelingi descriplus carm. 1. lib III. <sup>12)</sup> continet.

H — V. A. Heck librarius Viennae codicem a. 1935. cuidam ignoto ven-  
didit; 6 foll. perg. partim purpureo colore picta sunt; saec. XVI. ineunte a  
famulo Celtis descriptum carmen continet, quod Celtis Hieronymo Haller sena-  
tori Norimbergensi a. 1504. ex his versibus compilavit: I 8, 65—72; 20, 9—  
17, 45—60; 29, 41—48; II. 2, 85—92; 11, 2—4, 9—12, 17—20, 25—32. <sup>13)</sup>

R - Monacum (Bayerische Staatsbibliothek). Inc. c. a. 688., 4-o. In  
hoc incunabulo (Kalendarium et Almanach Ioannis Regiomontani a. 1489. im-  
pressum) inveniuntur inter nonnullas annotationes marginales fratris Simonis  
Ridler O. S. B. (in coenobio SS. Ulrici et Afrae Augustae Vindelicorum, cuius  
liber erat) versus 25—28. carm. 11. lib. I. (una cum dedicatione et anno), quos  
Celtis Simoni Ridler dedicavit, dum a. 1507. Augustae Vindelicorum moratus est.

1 - Ars versificandi et carminum (Lipsiae apud Conradum Kachelofen)  
A. 1486. <sup>14)</sup> Fol. 24r carm. 5. lib. IV. continet. - Cuius editio altera: Ars versi-  
ficandi et carminum Conradi Celtis Protucii poete laureati (Lipsiae apud Mar-  
tinum Landsberg) circa annum 1494. <sup>15)</sup> carm. 5. lib. IV. in fol. Cvijr reperitur.

p - Conradi Celtis prosecutum ad divum Fridericum tertium pro laurea  
Appolinari(sic). Impressum in Nurmberg per F. Kreusner. A. 1487. <sup>16)</sup> Fol. 3r :  
carm. 1. lib. I., fol. 4r: carm. 2. lib. I., fol. 5r: epod. 1.

e - Epitoma in utramque Ciceronis rhetorica cum arte memorativa  
nova et modo epistolandi utilissimo. Ingolstadiæ, 1492. <sup>17)</sup> Fol. ciiijr—ciiijr :  
carm. 19. lib. I.; fol. cijjr—v: carm. 20. lib. I.; fol. cvjr: carm. 21. lib. I.; fol.  
ciiijv—ciiijv : carm. 2. lib. II.; fol. ciiijr—v : carm. 3. lib. IV. <sup>18)</sup>

b - Conradi Celtis Panegyris ad duces Bavarie. Augustae Vindelicorum  
apud Erhardum Ratdolt, a. 1492. <sup>19)</sup> fol. 9v—11r: carm. 11. lib. I. et 11r—v :  
carm. 8. lib. II. <sup>20)</sup>

m - Prima editio carminis ad sanctum Sebaldum (carm. 10. lib. III.)  
apud Ioannem Bergmann Basileae 1495. solo folio impressa. <sup>21)</sup> - Nos exem-  
plari Monacensi (Bayerische Staatsbibliothek, Rar. 287.) utebamur, quod libro  
Chronicae mundi Hartmanni Schedel (in fine) agglutinatum invenitur.

v - Conradi Celtis Economia, id est de his, que requiruntur ad honestam  
supellecitem philosophi patris familias. Viennae apud Ioannem de Winterburg,  
c. anno 1499. vel 1500. <sup>22)</sup> In fol. 3v et sqq. carm. 6. lib. III. reperitur.

c - Propositiones domini cardinalis Nicolai Cuse De li non aliud. Con-  
radi Celtis Carmen Saeculare. Viennae apud Ioannem de Winterburg, a. 1500.  
Fol. 3v—4v: Carmen Saeculare.

s - In hoc libello continentur: Septenaria sodalitas litteraria Germanie,  
Ausonii sententia septem sapientum septenis versibus explicate, eiusdem Au-  
sonii ad Drepanum de ludo septem sapientum, epistola sancti Hieronymi ad  
magnum oratorem urbis de legendis et audiendis poetis. Impressum Vienne  
ductu Conradi Celtis anno M. Quingentesimo seculari <sup>23)</sup>. Fol. 1v—2r : Epod.  
14. - In exemplari Monacensi (Bayerische Staatsbibliothek, A. Lat. b 706/4.  
4-o) manu coaeva emendationes et Graeca verba scripta invenimus.

a - Conradi Celtis Protucii primi inter Germanos imperatoriis manibus  
poete laureati quatuor libri Amorum secundum quatuor latera Germanie feli-

<sup>11)</sup> Prelo mandatus est a Carolo Hartfelder in Zeitschrift für vergleichende Literaturge-  
schichte, Neue Folge, III (1890), p. 344 sqq. et a Rupprich, Briefwechsel, No 86.

<sup>12)</sup> Hugo Holstein in Zeitschrift für vergleichende Literaturgeschichte. Neue Folge IV.,  
(1891), p. 243 et p. 461sq. codicem disseruit et lectiones variantes notavit.

<sup>13)</sup> Rupprich in Mitteil. des Vereins f. Geschichte d. Stadt Nürnberg, 1935. p. 71 sqq. co-  
dicem descriptis et carmen edidit.

<sup>14)</sup> Gesamtkatalog der Wiegendrucke (GKW) 6460. <sup>15)</sup> GKW 6461. <sup>16)</sup> GKW 6467.

<sup>17)</sup> GKW 6463. <sup>18)</sup> Duæ editiones huius operis saec. XVI. editæ carmina omittunt.

<sup>19)</sup> GKW 6466. <sup>20)</sup> Nova editio totius libelli in hac Bibliotheca [Conradus Celtis Pro-  
tucius: Oratio . . . ed. Io. Rupprich]; duo carmina in App. I. 3. et 4.

<sup>21)</sup> GKW 6404. - Phototypice editum apud Fr. Martin Haberditzl, Einblattdrucke, Wien,

s. a. Taf. XCV. <sup>22)</sup> GKW 6465. <sup>23)</sup> GKW 6470.

citer incipiunt. In fine : Absoluta sunt haec C. C. opera in Vienna domicilio Max. Augusti Caesa. Anno MD. novi seculi II. kalen. Febru., impressa autem Norimbergae eiusdem anni Nonis Aprilibus. Sub privilegio sodalitatis Celticae nuper a senatu imperiali impetrato, ut nullus haec in decem annis in imperii urbibus imprimat. In hoc libro praeter libros Amorum alia quoque opera Celtis continentur ; in foll. pviiv—qir carm. 10. lib. III. iterum post editionem m editum est.

r - In hoc libello continentur : Divo Maximiliano Augusto Chunradi Celtis *ραψῳδία*, laudes et Victoria de Boemannis per septem electores et regem, Phoebum, Mercurium et Bachum et novem Musas personatas publico spectaculo Vienne acta. Anno M. D. IIII. Divo Maximiliano sodalitatis litterariae collegii poetarum Viennae in delectu publico per classes decantatae et recitatae laudes pro erectione eiusdem collegii. In fine : Finiunt panegyrici decantati divo Max. August. per soda. littera. Danubianam censoribus Chunra. Peutinger. Ioann. Foeniseca, Sebast. Sperantio. Impressi autem Auguste Vnde. per magistrum Ioann. Otmara sub privilegio reg., ne quis in decem annis illa imprimat in urbibus imperii et re. maiest. terris. Anno. M. D. V.-Fol. AVv—AVlv: carm. 27. lib. I.

t - Melopoiae sive harmoniae tetricenticae super XXII genera carminum heroicorum, elegiacorum, lyricorum et ecclesiasticorum hymnorum per Petrum Tritonium et alios doctos sodalitatis litterariae nostrae musicos secundum naturas et tempora syllabarum et pedum compositae et regulate ductu Chunradi Celtis foeliciter impresse. Augustae Vindelicorum apud Erharduni Oeglin anno 1507. - Infra titulum (fol. 1r) vv. 45—48 carm. 29. lib. I. impressi sunt.

o - Conradi Celtis Protucii primi in Germania poetae coronati libri Odarum quatuor cum Epodo et saeculari carmine diligenter et accurate im-  
praessi, et hoc primum typo in studiosorum emolumentum editi. - In fine : Argentorati ex officina Schüreriana ductu Leonhardi et Lucae Alantsee fratrum ann. M. D. XIII. mense Maio regnante imperatore Caes. Maximiliano P(io) F(elici) Aug. - Liber continet : fol. a2r—v epistolam loachimi Vadiani ad Matthiam Schürerium chalcographum, Viennae decimo Kal. Martias anno MDXIII.<sup>24)</sup>; fol. a3r—a7r carmina Ioannis Camertis, Nicolai Gerbellii Phorcensis, Theodorici Ulsenii Frisiae, Giberti Barbettae Mirandulani, Philippi Gundelii Boii, loachimi Vadiani, Murrhonis Iunioris <sup>25)</sup>; fol. a7v—a8v epistola dedicatoria Thomae Velociani ad Christophorum de Rauber Laibacensis et Secovianae ecclesiarum antistitem, Viennae XIII. Kalen. Martias anno MDXIII.<sup>26)</sup>; fol. a8v disticha Thomae Velociani <sup>27)</sup> et Errata in libros Odarum; fol. br—b3v Conradi Celtis per sodalitatem litterariam Rhenanam vita <sup>28)</sup>; fol. b4r—b6r Odarum Index; fol. b6v imago scribentis poetae ligno incisa cum armis suis, deorum dearumque figuris et fonte Musarum; fol. Ar—Niiiv Quattuor libri Odarum; fol. Niiir—Oiiiv Epodon liber; fol. Ovr—Oviv Carmen Saeculare; fol. Oviir Thomae Velociani epistola ad Volgangum abbatem <sup>29)</sup>, disticha Thomae Velociani in busta Celtica <sup>30)</sup>; fol. Oviiv inscriptio epitaphii Celtis; fol. Oviiv—Oviir Cuspinianus Celti ultimum vale <sup>31)</sup>; fol. Oviir Ioannis Camertis disticha <sup>32)</sup>.

h - Complurium eruditorum vatum carmina ad magnificum virum d. Blasium Hoelcelium sacri Caesaris Maximiliani consiliarium, Moecenatem eorum precipuum. Augustae Vindelicorum in celeberrimo principum conventu impressa M. D. XVIII. - In hoc opusculo collectore Petro Bonomo episcopo Tergestino edito inter quosdam alios versus Celtis carm. 10. lib. IV. impressum est.

d - Delitiae poetarum Germanorum huius superiorisque aevi illustrium collectore A. F. G. G. - Impressit Francofurti Nicolaus Hoffmannus sumptibus Iacobi Fischeri anno 1612. - In secunda parte huius collectionis inveniuntur inter alia Conradi Celtis carmina e lib. I. Odarum carm. 2. (p. 250—252), carm. 9. (p. 252 et sq.), carm. 16. (p. 253), carm. 29. (p. 254 et sq.); e lib. II. carm. 5. (p. 255—257), carm. 10. (p. 257 et sq.), carm. 12. (p. 258—260), carm. 29. (p. 260 et sq.); e lib. III. carm. 1. (p. 261—264), carm. 5. (p. 264—267); Carmen Saeculare (p. 267—269). Carmina ex editione o edita sunt.

<sup>24)</sup> Iterum edita a Rupprich, Briefwechsel, No. 342. <sup>25)</sup> Ibidem, No. 343—350.

<sup>26)</sup> Ibidem, No. 351. <sup>27)</sup> Ibidem, No. 352. <sup>28)</sup> Ibidem, No. 339. <sup>29)</sup> Ibidem, No. 353.

<sup>30)</sup> Ibidem, No. 354. <sup>31)</sup> Ibidem, No. 357. <sup>32)</sup> Ibidem, No. 355. I. et II.

# CONRADUS CELTIS PROTUCIUS

## LIBRI ODARUM QUATTUOR

---

### LIBER I.

#### *1. Ad Fridericum Caesarem pro laurea prosecutice.*

Caesar magnificis laudibus inclitus,  
Rex regum et dominus, maxime principum!  
Si quis prisca tuis tempora saeculis  
Vel conferre velit regna prioribus,  
5 Non te, crede, queunt vincere gloria.  
Te vivo redeunt aurea saecula  
Et pax atque fides canaque sanctitas  
Et vitae integritas atque benignitas.  
Germanis populis te duce maximus  
Laudis surgit honos, dum fugit horrida  
Morum barbaries, foedaque saecula  
Commutata nitent per vaga sidera.  
Saltamus, canimus nec male pingimus  
Et chordas resonas pollice tangimus.  
15 Nil nobis peregre est difficile aut modo  
Rimantes variis artibus abditam  
Naturae seriem, Dorica et Itala  
Miscentes pariter non sine gloria.  
Te vivo Latiis gloria litteris  
20 Antiquumque decus iam reddit artibus,  
In lucem veniunt cum modo singula,  
Quae Grai et Latii condiderant viri  
Et qui Niliaco littore sederant  
Quique Euphratis habent conflua flumina.  
Hinc caelum omne patet terraque cognita est  
Et, quid quadrifidis continet angulis,  
In lucem veniunt arte Alemanica,  
Quae pressis docuit scribere litteris.  
Te vivo lyricos iam canimus modos  
30 Et laudata viris plectra prioribus  
Concinnis fidibus pollice tangimus.  
Qua virtutis honos et meritum decus  
Cultum perpetuis temporibus manet,  
Et semper viridi fronde repullulat.  
35 Hoc Grai studio nomen ad aethera  
Fuderunt Italos inde sequacibus.  
Et nos nunc facili tenuia barbito,  
Illorum celeres dum sequimur pedes,

Caelo sub rigido carmina spargimus.  
 40 Dum vires dabis ac ingenium mihi  
 Atque inculta probes si mea carmina  
 Ornans laurigeris tempora frondibus,  
 Me gustasse putem nectar Olympicum.

2. *Ad Caesarem, dum filium imperio sufficeret,  
 symboletice in iucunditatem veris.*

Phoebe Riphaeos aditure montes,  
 Afferens noctem brevioris umbrae,  
 Lenta sub caelo rigido reformans  
 Gramina pratis,

5 Taurus aestivo propior coluro  
 Nascitur tecum referens tepores,  
 Pleiades sentit pluvias resolvi  
 Lampade Phoebi.

Hinc capit vultum rigidus novatum  
 10 Mundus et Plaustrum sinuans utrumque  
 Anguis algorem positurus alto  
 Sole calescit.

Terra profuso tepido liquore  
 Parturit laetos vegetata flores  
 15 Cum suis stellis radiata splendens  
 Caespite vivo.

Non minax vastum Boreas per aequor  
 Obvius saevit violentus Austro  
 Sorte luctando timida moventes  
 20 Proelia ponto,

Exiens sedes modo sed beatas  
 Spirat in terris Zephyrus tepenti  
 Suscitans flatu taciti sepulta  
 Semina mundi.

25 Sentiunt gratas animata flamas,  
 Foedus asciscunt subolis creandae,  
 Quo per aeternum stabilitur aevum  
 Mobilis orbis.

Induunt primas elementa formas  
 30 Ignis et tellus et amarus humor  
 Et modo splendet propiore Phoebo  
 Purior aether.

Caesarem nostrum cupiunt movere,  
 Qui renascentis caput extat orbis,  
 35 Consulat nostris Latiisque rebus  
 Iam prope lapsis.

Pace Saturnus legitur quietos  
 Primus in terris populos tulisse,  
 Aureum sub quo fuerat per orbem  
 40        Principe saeclum.

Iuppiter regni patrii potitus  
 Non patris ritu moderavit orbem,  
 Hos supra caelum tulerat vetustas  
 Laude decoros.

45 Nostra te iunget superis sed aetas  
 Regiae clarum subolis parentem,  
 Maximo nomen cui gesta linquent  
 Aemiliano.

Bella moturos potuit Gigantes  
 50 Iuppiter summo prohibere caelo  
 Fulminans hostem Siculo sepultum  
 Vertice flammis :

Sic tuus regni capiens habenas  
 Filius crudum reprimat tyrannum,  
 55 Qui lares nostros petit et penates  
 Cuncta profanans.

Repetat Graiam sapiens ruinam  
 Conterens hostem nimio furentem,  
 Alta pax terras habeat sub omni.  
 60        Sidere caeli,

Quae vel algenti riguit sub axe  
 Vel per Eos calefacta frenos  
 Quosque Sol fessus repetit vel Auster  
 Imbrifer urget.

65 Caesar, aeterno memorandus aevo,  
 Necte frondosi mihi serta lauri  
 Delphico signo rigidum decorans  
 Carmine vatem.

### *3. Ad Hasilinam Eudeunam erotice.*

Quid me sidereo lumine verberas  
 Configens gravibus pectora spiculis ?  
 Dum spondes tacitis gaudia nutibus  
 Incessu veniens blandior omnibus,  
 5        Hasa, puellis,

Quas vel Sarmatico margine vidimus  
 Vel quas Rhenus habet flumine nobili  
 Aut quas Danubius pontibus invidens  
 Vel quae Codoneo barbara colligit  
 10        Littore glaesum.

Tu flamas tremuli pectoris exuis,  
 Dum laetis fueris blanda favoribus,  
 Turbatumque levas candida spiritum  
 Expellens faciem fulgida tetricam.  
 15 Maestitiamque.

Te plectrum nitidi poscit Apollinis,  
 Ut cures fidibus suave sonantibus  
 Iniecisse modos et super aethera  
 Traduxisse velis ingenii faces  
 20 Parcius urgens.

Et concessa canent te mea carmina,  
 Qualis diva tuis gressibus emicas  
 Et quali facie candidior nive  
 Miscens purpureis ora coloribus  
 Fronte serena.

Nostris carminibus facta celebrior  
 Nunc vives etiam cognita posteris,  
 Si non dura meis obstiteris, dea,  
 Votis igne levans membra calentia  
 30 Non requieto.

#### 4. *Ad Ianum Canusium paraenetice.*

Cretus sub oris, Iane, rigentibus,  
 Quas urget altus circulus arcticus  
 Et cana Sulonum premuntur  
 Culmina Sarmaticis pruinis,

5 Crassis loqueliis nunc inimicior  
 Reponis alto carmina spiritu  
 Clarus legens et doctus, olim  
 Quae Latiis celebrata Musis.

Pergas beato pectoris impetu  
 10 Referre clari lumina Delii  
 Et quae gelatum stant ad axem.  
 Sidera in occiduo rotatu.

Pergas, volucris cornua Cynthiae  
 Fraterna perdat cur vaga lumina  
 15 Et concavo orbe mox resumpto  
 Stat solido radiosa vultu.

Pergas, quid atro deliteat globo,  
 Terrena faex sit seu species maris.  
 Vel multitudo submigrantum,  
 20 Endymion vel amatus astro.

Pergas patentis dicere climata  
 Terrae globoso stantis in aere

Ac omnium legem plagarum  
Cum populis regionibusque.

25 Pergas dierum cernere tempora,  
Quae causa rumpat foedera noctium,  
Ut nunc propinquo, nunc remoto  
Cynthius exoriatur astro.

Pergas furentis candidus aequoris  
30 Curvos recessus dicere et insulas  
Et subsidentes turbulentia  
Marmora cur revomanū arenas.

Pergas venustis pectora moribus  
Ornare linquens castra libidinis  
35 Foedae voluptatis recensens  
Tempora displicitura tandem.

*5. Ad Andream Pegasum de fato et felicitate.*

Cui dedit nomen volucer caballus  
Pegasus fontis liquidi repertor,  
Turba quo vatum bibit ore dulces  
Carminis haustus,

5 Quemque vos, doctae, colitis, sorores,  
Ora dum castis veneranda lymphis  
Mergitis laetis modulis sub undis  
Plectra moventes,

Huic; precor, divae, resonate carmen  
10 Et suae laudis meritum canentes  
Dicite, ut virtus sibi sint et alti  
Pectore sensus.

Nobilis magnis proavis creatus  
Sarmatum regis meritis favorem,  
15 Qui domus clarae titulos beavit  
Stemmata multo.

Natus Arctoo celeber sub axe,  
Vistulae longos ubi terra flexus  
Excipit latis rubicunda spargens  
20 Gramina pratis.

Perfluus puris ibi campus undis  
Fontis aeterni scaturit liquore,  
Diceris fossum pede, cuius ille  
Nomina gestat.

25 Parvulus primis ibi lusit annis,  
Post patris ductu studium secutus  
Dulce Musarum properans ad alta  
Castra Minervae.

Sic, ubi doctis adolevit annis  
 30 Fortior firmis validisque membris,  
 Orbis ignoti voluit videre et  
     Cernere cultus  
 Et citus poscit Venetos superbos  
 Cautus addiscens ibi mercis artes,  
 35 In quibus multas locupletet oras  
     Aequus in omnes.  
 Adriae vastas penetravit undas  
 Te petens Romam caput orbis olim,  
 Inde Cumanae thalamum Sibyllae  
 40 Parthenopenque.  
 Hic, ubi classem Boreas per altum  
 Evocat curvas Ligurum per oras,  
 Prospero cursu venit et gelatas  
     Transvolat Alpes.  
 45 Inde Germanos adiit potentes,  
 Hic, ubi pulchras rapitur per urbes  
 Rhenus et salsa salsas ubi trinus ore  
     Spumat in undas.  
 Patrias tandem rediens sub oras  
 50 Pertulit multos variosque casus  
 Sortis agnoscens utriusque vultus  
     Pectore forti.  
 Hinc mihi fati memorat potentis  
 Lubricos nexus variosque casus  
 55 Et cuiquam certam statuisse legem  
     Numina dicit,  
 Quam vel astrorum superumque rector  
 Et parens mundi voluit latere,  
 Pectus humanum sua ne futura  
 60 Noscere posset.  
 Iret in praeeeps animus futurae  
 Praescius sortis, bona ni retentet  
 Spes movens vultus subito priores  
     Posse reverti,  
 65 Et timor laetis nisi rebus esset,  
     Quis ferat torvi faciem tyranni ?  
     Laeta sic celso residens Olymbo  
         Miscuit atris.  
 Solus is nostras sapiens gubernat  
 70 Temporum causas, dedit et negavit,  
     Nostra quae caecis nequeant videre  
         Corda tenebris.

Ille vel fatum statuit superbum,  
 Ut daret cunctis sua certa rebus  
 Dona, quae clausis veniant fenestris  
 Tempore fixo.

Nuper excelsam tumidus per aulam  
 Astitit regi socius tremendus  
 Et tulit tristem subito ruinam  
<sup>80</sup> Praecipitatus.

Quique sub tecto genitus misello  
 Et patris durum fodientis arvum  
 Filius, celsos rapiens honores  
 Sorte levatur.

Alter Eoos statuit per Indos  
 Mercibus multis avidus beari,  
 Naufragus tandem Borea furente  
 Concidit undis.

Ille spe ductus subolis creandae  
 Duxit uxorem, ut voluit, pudicam,  
 Sed sibi dulcemi genius negavit  
 Surgere prolem.

Laetus hic multo grege filiorum,  
 Sed gemit laesum tacitus pudorem  
 Coniugis gestans aliena falsi  
 Nomina patris.

Caelibem exosus fuit ille vitam,  
 Cogitur sacras famulari ad aras  
 Et gerit nudi capit is coronam  
<sup>100</sup> Vertice rasus.

Ille privatam sibi forte vitam  
 Legerat curas odiens edaces,  
 Cogitur fasces dominus verendus  
 Ferre per orbem.

105 Alter in tectis residens avitis  
 Patrio condi statuit sepulchro,  
 Exul obscuris sepelitur oris  
 Sorte tremenda.

Nubilem servant tumidi puellam  
<sup>110</sup> Et procos claros fugiunt parentes,  
 Illa fatali thalamo relicta  
 Foedera iungit.

Illius cervix gladio revulsa est,  
 Hunc rogus vivum trepidus cremavit,  
<sup>115</sup> Illius corpus crucibus pependit,  
 Hunc rota torsit.

- Sic vago ludit temulenta passu  
 Sors movens curas animos prementes  
 Spesque nunc laetas, iterum timores  
 120 Turgida versat.  
 Quae nisi solus sapiens fugavit,  
 Ille contempsit triviale murmur  
 Et sui pollens animi vigore  
 Perstigit aequus.  
 125 Sit mihi victus tenuis sub arta  
 Veste, qua corpus socium tegatur,  
 Et domus saltem Boream coercens  
 Caespite parvo.  
 Carus ac aequus veniat sodalis,  
 130 Cui loquar laetis tacitisque verbis,  
 Is meae cursum seriemque vitae  
 Carpat et ornet.  
 Et procul ludum trepidum relinquens  
 Audiam reges proceresque dura  
 135 Sorte luctantes dubioque numquam  
 Pectore laetos.  
 Ast ego caeli videam beatus  
 Lucidos ignes, maris atque terrae  
 Et sciam venti, nebulae nivisque  
 140 Reddere causas.  
 Teque cunctorum inveniam parentem,  
 Quo duce immensus stabilitur orbis  
 Quoque confusum capient volente  
 Omnia vultum.  
 145 Ille diffusus volitat per orbem  
 Spiritus cunctas animando partes,  
 Quem nisi purae poterint videre et  
 Prendere mentes.  
 Nube post tergum volitans reicta  
 150 Pendulo puncto variis nocivum  
 Rideam curis homines petentes  
 Turpiter aurum.  
 Lauriger curas tetricas fugabo  
 Temperans chordas citharamque Phoebi,  
 155 Dum mihi Musae faveant, sub omni  
 Tempore laetus.  
 Ruperint maestae mihi dum sorores  
 Fila, nolentem superabo mortem,  
 Dum canet nostras gelidus Camenas  
 160 Rhenus et Albis,

Vistula et longo sinuatus orbe  
 Ister et late Eridanus superbus,  
 Arrogans Thybris, Tagus et Britanno  
 Proxima tellus.

<sup>165</sup> Illa devota cecinit Camena  
 Celtis, Andrea tibi notus alta  
 Mente, quem semper, facias, fideli  
 Pectore serves.

Inter Eeos fueras sodales  
<sup>170</sup> Carior semper, tua multa virtus  
 Me tibi vinxit ruitura nullo  
 Temporis aevo.

#### 6. Ad Hasilinam erotice.

Quid saevas regeris tuas  
 Flamas, Hasa, meos cur face torridos  
 Artus concutiens moves?  
 Non aptus referor miles in arduum

<sup>5</sup> Bellum, non animo potens  
 Ardentes tepido pellere languidus  
 Ignis, quos nimis applicas.  
 Sit dixisse satis, quae tua formula,

Qualis cum niveus color  
<sup>10</sup> Confusus rubuit sanguine muricis  
 Aut qui candidulas solet  
 Commiscere color purpureas rosas.

Talis femineus decor  
 Ornat sidereis tempora vultibus.  
<sup>15</sup> Esto carminibus, rogo,  
 Iam non dura meis factaque mitior  
 Et te Sarmata fortior  
 Frenis flectere equos Pannoque nobilis  
 Et Rhenus gelidus tua  
<sup>20</sup> Blando percipient nomina barbito.

#### 7. Ad Philippum Callimachum.

Iam nostras tibi mittimus, Philippe,  
 Nugas horridulas et impolitas  
 Et quae nec Latii pares Camenis  
 Nec quae de mediis fluant Achivis,  
<sup>5</sup> Sed quales mihi frigido sub axe  
 Dictarunt calamo rudi sorores.  
 Hanc curam tibi linquimus minores,  
 Qui princeps Latias movere chordas,

Reges et proceres referre doctus  
 10 Et lusus melior canens procaces.  
 Hinc te non facile eximet vetustas,  
 Sed te posteritas amans revolvet,  
 Dum Plaustro glacialis Ursa torpet  
 Et servant solitas vel astra leges.  
 15 Germano satis est mihi poetae,  
 Si me Rhenus amet legatque Menus,  
 Menus vitiferis opacus agris,  
 Olim nobilibus viris decorus,  
 Graio sanguine quos ferunt creatos,  
 20 Quis nemo melior librare telum  
 Et spumantis equi dedisse gyrum.  
 Qui Graios, Italos, Scythes, Hiberos  
 Atque Asiae populos inhospitales  
 Euxini validis tulere in armis.  
 25 Haec est patria Celtici poetae,  
 Quam nunc occupat imperita turba,  
 Quae gestat capitis rudes corollas  
 Et tantum Veneris dicata sacris  
 Talos cum Bromio magis colentes,  
 30 Quam quae sacra canit Sophia libris.  
 Forsan ista tamen tibi placebunt,  
 Aequaevis mihi consodalis olim.

*8. Ad Ursum medicum et astronomum de situ Cracoviae.*

Urse doctorum specimen virorum,  
 Hic, ubi servat rigidus Bootes  
 Plausta, quae numquam subeunt tepentes  
 Aequoris undas,  
 5 Quaque per vastas Boreas procellas  
 Sistit Arctoas glacialis undas  
 Et tegit late niveo gelatos  
 Vellere campos,  
 Seu iuvat blandis fidibus molestas  
 10 Anxiae mentis relevare curas.  
 Cynthius laetis tibi docta ludit  
 Carmina plectris,  
 Seu tibi rerum placuit latentes  
 Mente sublimi reperire causas,  
 15 Mox tibi Graiae veniunt Minervae  
 Pectus et ora  
 Et super nubes volucer levatus  
 Candidos caelos specularis, altos  
 Siderum cursus, Hecates labores  
 20 Mente revolvens.

Temperas succos tumidis medentes.  
Corporum morbis, relevas calores  
Et facis pulchram Machaonis arte-  
Corpore pacem.

25 Noxius languor duce te fugatur  
Linquit et taetras sanies medullas,  
Dum suum nutrit genitalis humor  
Rite calorem.

Regia nobis venerandus urbe es,  
30 Quam duae cingunt aliae potentem  
Quamque diducto secat inquietus  
Vistula flexu.

Te colunt cives generosi et alta  
Regis Arctoi veneratur aula,  
35 Dum suae tractas alimenta vitae  
Pectore docto.

Fac, tibi prisci redeat vigoris  
Pectus et curis vacuum severis  
Vendica carpens tacito fluentis  
40 Gaudia vitae.

Cernis, ut soles properant citati,  
Ceu fluit lychno tremulum caduco  
Lumen et succo pereunte flamma  
Deserit ora;

45 Nec vides, quorsum moribunda pergit,  
Quae prius caecas repulit tenebras,  
An petat caelum subito per altum  
Aere lapsa

Sive confusum subitura acervum,  
50 Quo latent rerum species sepultaer,  
Donec attritu silicis renata  
Semina quaeras.

Sic fugit corpus tenuis gravatum  
Spiritus subter Phlegetontis undas  
55 Tertiae sortis truculenta abhorrens  
Ora tyranni,

Quem stupet circum pavidus trifaucem.  
Cerberum et tortis Furias colubris,  
Dum rogit maesta scelus expiari  
60 Aeacus urna;

Aut volat purum nitidus sub axem,  
Ut bibat nectar liquidum deorum,  
Hic, ubi candet niveo colore  
Lacteus orbis.

65 Mitte fallacem dubiis vagari  
 Passibus sortem; fueris beatus,  
 Si potes cunctis animum quietum  
     Addere rebus.  
 Scripserat certas moderator orbis  
 70 Omnibus leges statuens ferendas,  
     Quas tulit solus sapiens sine ullo  
         Pectoris aestu.  
 Nec stetit semper piceis gravatum  
 Nubibus caelum, Zephyrus minacem  
     Expulit tandem Boream reducens  
         Sidera laeta.  
 Tunc micat pulchro radiosus orbe  
 Phoebus attollens nitido calentem  
     Lampadem curru tenebris fugatis  
 80     Gratior extans.  
 Sit tibi splendor patrii decoris  
 Et decens victus nihil arrogabis,  
     Cum tibi pleno veniet futuro  
         Copia cornu.  
 85 Sit tibi castus sociae toralis  
 Lectus et curas relevet voraces,  
     Dum tuo pendet gemebunda amore  
         Pectora circum.  
 Hac tibi proles generosa surgat,  
 90 Quae patri claros numeret nepotes,  
     Utque te maestae rapient sorores,  
         Lumina claudat.

*9. Ad Salemnum Delium erotice in iucunditatem veris.*

Deli, purpurea quem face Cynthius  
 Irroravit amans matris ab ubere  
 Et cui mite dedit sidere Iuppiter  
     Felici ingenium clarum et amabile:  
 5 Deli Sarmaticis facte sodalibus  
     Et plusquam patrio sanguine carior,  
     Nostris perpetuis dignus honoribus,  
     Dum currunt solitis sidera legibus,  
         Inter Sarmaticos dum iuvenes micas,  
 10 Doctrina et placidis splendide moribus,  
     Qualis Phoebus agit lucifluam rotam  
     Et pallet facibus stella minoribus,  
         Parnasi venias tendere collibus  
     Phoebi cum fidibus plectra sonantibus

- <sup>15</sup> Mergemusque sacris ora liquoribus,  
Qua garrit vitreis Vistula fontibus.  
Titanis venias cernere lampadam  
Atque astra in tacitis candida noctibus,  
Et cur imbrifero ventus anhelitu  
<sup>20</sup> Miscet saxifragis aequora fluctibus.  
Terrarum, venias, ut populos canas,  
Subiectos videant quos rigidi poli  
Et quos Eurus equis mane rubentibus  
Afflat vel Zephyrus sole tepentibus.  
<sup>25</sup> Cantantes sociis gressibus ibimus,  
Qua trino Charites ore videbimus  
Iunctas, implicitis quae modo brachiis  
Saltant cum Satyris, capripedum genus,  
Qui gestant capitum vincula pinea  
<sup>30</sup> Calcantes pedibus lilia splendidis,  
Dum pulsat citharam Phoebus eburneum  
Et Musae placidis constrepitant choris,  
Quos inter medius corniger Euhius  
Miscet sollicitis pocula cymbiis  
<sup>35</sup> Hortaturque, suam laetitiam ferant  
Inspirans tacitas ad Veneris faces.  
Current mobilibus tempora saeculis  
Et cras in cinerem forsan abibimus,  
Mulcemos teneris pectora amoribus  
<sup>40</sup> Cantantes vacuo carmina spiritu.

*10. De nocte et osculo Hasilinae erotice.*

- Illa quam fueram beatus hora  
Inter basia et osculationes  
Contrectans teneras Hasae papillas  
Et me nunc gremio inferens venusto,  
<sup>5</sup> Nunc stringens teneris suum lacertis  
Pectus languidolo gemens amore,  
Quod me reciproco fovebat aestu  
Cogens deinde suos meare in artus,  
Dum nostros animos per ora mixtos  
<sup>10</sup> Cum vinclis adamantinis ligavit  
Diva ex caeruleo creata ponto.  
O nox perpetuis decora stellis,  
Quae divum facies levas coruscas  
Et fessis requiem refers salubrem!  
<sup>15</sup> Nunc stes Herculeo velut sub ortu  
Aut qualis Suetiis soles sub oris,  
Dum Phoebus pluvium revisit austrum,

— Nullam per spatium bimestre lucem  
 Fundit perpetuas ferens tenebras —  
 20 Sic fervens satiabitur voluptas!

*11. Ad Sigismundum Fusilium Vratislaviensem  
 de his, quae futurus philosophus scire debeat.*

Fusili, binis mihi notus annis,  
 Dum peragranti mihi Sarmatarum  
 Terra lustratur gelido propinqua  
 Frigida caelo,

.5 Qua duas torpet polus inter Ursas  
 Arcticus pigro revolutus orbe  
 Gnosiae secum radiosa volvens  
 Serta puellae,

Candidos inter fueras amicos,  
 .10 Cui dedit sidus patrium decoros  
 Pectoris mores et honesta sanctae  
 Pignora mentis.

Primus exosus fueras veternum  
 Exuens scabras nitidus loquelas,  
 .15 Barbaras voces et avita crassae  
 Murmura linguae.

Iamque Romano erudiendus ore  
 Induis pulchrum decus expetendo,  
 Quae probant docti ingenuo calentes  
 .20 Pectoris igne.

Sperne mendacis rabiosa vulgi  
 Murmura indoctam fugiens catervam  
 Et datum paucis poteris beatus  
 Noscere verum.

.25 Magnus exemplo tibi sit Molossus,  
 Quem premunt vasto fremitu catelli,  
 Ille sed serpit tacitus minorum  
 Murmura ridens.

Perge tres sacras modo nosse linguas,  
 .30 Quae tibi magnum tribuent honorem,  
 Cum Palestina Latiamque claro  
 Cecrope scriptam.

Perge confusum chaos intueri,  
 Quo scatent pulchris elementa formis  
 .35 Sorte discordi et redditura versant  
 Semina mundi.

Perge consurgens animo volucri  
 Singulis rebus reperire causas,

Flabra ventorum refer et furentis  
 40 Aequoris aestus.

Perge, cur terrae quatiente motu  
 Concidant urbes trepidentque montes,  
 Ignium cur diluvioque aquarum  
 Regna laborent.

45 Perge, cur caecae generent cavernae  
 Sulphura et pulchris scateant metallis,  
 Curque languentum reparent calentes  
 Corpora thermae.

Perge, cur tanto crepitet fragore  
 50 Nubibus caeli iaculatus ignis,  
 Imbris et lentae nivis et gelatae  
 Grandinis iras.

Perge convexo fugitiva caelo  
 Astra mirari, geminum cubile  
 55 Solis inquirens alioque gentes  
 Orbe sepultas.

Perge diverso expatiata motu  
 Sidera et Phoebi referens labores,  
 Lurido vultu sibi cum fugavit  
 60 Cynthia currus.

Perge diffusos populos per orbem  
 Dicere et linguas hominumque mores,  
 Quo situ caeli teneant volantem  
 Aere terram.

65 Perge priscorum relegens virorum  
 Gesta Tarpeio celebrata colle,  
 Quicquid et claris Macedum triumphis  
 Graecia gessit.

Perge Fortunae instabilis favorem  
 70 Spernere et duros tolerare casus  
 Et tibi cuncti fugient beato  
 Tempore soles.

Perge virtutis generosus artum  
 Et perangustum superare callem  
 75 Illa securam tibi sola donat  
 Ducere vitam;

Sola caelesti faciet beatum  
 Sede promittens placidos honores  
 Nec sinit taetras Stygii timere  
 80 Carceris umbras.

*12. De garrulo Vindelico.*

Forte Cracovinam veniebas nuper in urbem,  
     Garrule Vindelice,  
 Terque quaterque meas intrabas luridus aedes  
     Sicca rigans labia.  
 5 Immerito grates patrio mihi more rependis  
     Turpis et improbus  
     Vaniloquus Stygia foedans mea nomina lingua  
         Murmura falsa serens,  
     Scilicet ut patrium transcendam stemmate nidum  
 10     Nobilitate recens,  
     Cui neque grandis erat census nec in urbibus altis  
         Notus uterque parens.  
     At mihi Caesarea frondescant tempora lauro  
         Magnaque fama levet.  
 15 Talis erat Latiis vates, qui primus, in oris,  
         Arma virumque canit  
     Quique magis tenuis fuit olim Arpinas in agro  
         Nobilis eloquio.  
     Atque alii multi, quorum modo tempora nostra  
 20     Nomina clara stupent,  
     Parva quibus virtus patrimonia nobilis auxit  
         Amplaque dona dedit.  
     Talis ero, superi faveant modo, labra coerces,  
         Garrule Vindelice,  
     Nam post fata manet maior me gloria currens.  
         Docta per ora virum.

*13. De corrivali sacerdote.*

Olim Sarmaticis receptus oris  
     Et potans male Vistulam rigentem  
     Carpathumque videns rigente tergo  
         Hic blandis fruor ignibus beatus.  
 5 Quales omniproci fuisse scribunt  
     Amores Iovis improbive Martis,  
     Hac me perpetua calere flamma  
         Inconsultus et inscius putabam.  
     Indignam mihi sed dedit repulsam,  
 10 Qui sacram capit is gerit corollam,  
     Consecratque sibi meos amores,  
     Dum caecis colitur Venus latebris  
     Praesentesque suis sacris favorem  
         Testantur Veneres Cupidinesque.  
 15 Dum Phoebus roseum retexit orbem  
     Vel pronus Libycas premit columnas  
     Aut nox incubuit vocans amantes,  
         Non linquit sacer hic meos amorés,

Quem sanctus tenet hunc beatitatis  
 20 Sacrorum vel amor pudendulorum.

*14. Ad Hasilinam erotice et hodoeporice.*

Romuli quondam revocatus urbe  
 Mox Apennini iuga nubilos  
 Scando, dein Rhenum fluvium Padumque ad  
 Terga reliqui.

5 Hinc sinum vastum citus Adrianum  
 Lintribus curvis adeo, Istriorum  
 Urbs ubi tollit Venetas per undas  
 Inclita turres.

Hinc ubi campis Athesis receptus  
 10 Praepeti cursu rapior per Alpes  
 Uvidum Rhenum repetens gelato  
 Fonte cadentem,

Post caput magni veniens ad Istri,  
 Silva Bacenis vaga ubi patescit  
 15 Saltibus multa insinuans reductos  
 Arbore colles.

Solus ignotas pedibus citatis  
 Hinc peto terras, ubi flavus Albis  
 Atque ubi lentoſ regerit Silesus  
 20 Vortice cursus,

Vistulam recto pede deinde poscens,  
 Sarmatis latos ubi terra campos  
 Pandit et celsis ubi Croca tectis  
 Regia surgit.

25 Hic suis flammis Hasilina fulgens  
 Coepit ardenter laqueare mentem  
 Lusibus blandis relevans gravata  
 Membra labore.

O ter ac ultra fueram beatus,  
 30 Fata quem tali statuere amore  
 Serpere incertae redditura numquam  
 Tempora vitae!

Non ego magni Iovis et deorum  
 Sorte mutarem imperiosus ignes,  
 35 Tam decens vultus nitet et venusto  
 Corpore cultus.

Splendidus divo micat ore fulgor,  
 Candet infuso facies rubore,  
 Fronte lucentes oculi coruscant  
 40 Sidera bina.



- Cynthiae qualem coeunte cornu  
 Cernimus vultum, vaga dum repellit  
 Orbe iam toto rutilante picti  
 Lumina mundi,
- 45 Qualis aut Phoebus reparat fugatum  
 Nube per sudum iubar et stupentes  
 Excitat pulsis tenebris renato  
 Lumine terras,  
 Talis effusa Hasilina pergit
- 50 Candidam fulvis faciem capillis  
 Efferens toto niveo colore  
 Corpore fulgens.
- Haud ego tales Charites sub arvis  
 Montium divas nemorumque nymphas
- 55 Credo nec tales vitreo latentes  
 Fonte Camenae,  
 Albicat mollis velut anserina  
 Pluma vel cygni tegimen canori,  
 Se deam passu veniens superbo
- 60 Prodit et ore.
- Mitior tandem venias, precamur,  
 Consere amplexus, tacito medullas  
 Igne marcentes relevato, venis  
 Exime flamas
- 65 Et meus iunctis fugiet labellis  
 Spiritus vita meliore captus  
 In tuo pendens resupinus ore  
 Morte beata.
- Hausit ut fessis alimenta membris,  
 70 Repetet prisco reditus artus,  
 Invicem blando tua dum retorques  
 Oscula morsu.
- Hoc feres tanti pretium favoris,  
 Virgo, si nostros relevas dolores,  
 75 Sarmatas inter tua clara numquam  
 Nomina perdes.
- Te canent Rhenum et Necarum bibentes,  
 Ister et cornu Rhodanus recurvo,  
 Codanus claro et Tamasis Britanno
- 80 Littore notus.

*15. Ad Hasilinam apotropice.*

Non tot loquaces influit alites  
 Ventus sereno tempore floridus,  
 Quot nostra depilat puella  
 Blanditiis iuvenes senesque,  
 5 Tot, tot procellis non Codanus sevit,  
 Ferox sonoris quando aquilonibus  
 Luctatur eurus succinumque  
 Littore colligitur Pruteno,  
 Quot verba fundit pronus ad osculum  
 10 Amator illi, cum gemebundulus  
 Pallescit et fervens libido  
 Intumuif liquidis medullis.  
 Sed illa doctis cauta sub artibus  
 Recensem alto pectore, an aureis  
 15 Nummis abundet quis, voracem  
 Expleat insatiata mentem.  
 Tunc blanda vultu et corpore fulgida  
 Colludit ornans tempora floribus  
 Et mox sub altis coniugali  
 20 Noctibus hunc satiat cubili.  
 Hac ludat ergo, qui mihi largior  
 Atque imbre rorans dives Acrisio,  
 Vel forte nostris se locabit  
 Carminibus, quibus illa dicta est.

*16. Ad Sepulum dissidemonem.*

Miraris nullis templis mea labra moveri  
 Murmure dentilrago,  
 Est ratio, taciti quia cernunt pectoris ora  
 Numina magna poli.  
 5 Miraris, videas raris me tempila deorum  
 Passibus obterere,  
 Est deus in nobis ; non est, quod numina pictis  
 Aedibus intuear.  
 Miraris campos liquidos Phoebumque calentem  
 10 Me cupidum expetere,  
 Hic mihi magna Iovis subit omnipotentis imago  
 Templaque summa dei.  
 Silva placet Musis, urbs est inimica poetis  
 Et malesana cohors.  
 15 I nunc et stolidis deride numina verbis  
 Nostra, procax Sepule !

*17. Ad Albertum Brutum astronomum.*

Brute, caelestum relegis beatus  
 Siderum cursus volitantis orbis  
 Intuens doctis oculis renata  
 Lumina cuncta.

5 Noscis Arcturum, pater, et cavendas  
 Pleiades nautis Hyadasque tristes  
 Nec suos condit tibi clarus ore  
 Perseus ignes;

Nota, quae duro religata saxo est  
 10 Et decus Phoebi Stygiique monstri  
 Victor et Cephei radiosa coniunx  
 Cassiopeia ;

Inde quadrigis volitans superbis  
 Et Iovis nutrix et amata Baccho  
 15 Serta non doctum fugiunt nec ulla  
 Furta deorum ;

Corvus et Crater, quibus implicatur  
 Lubricus Serpens, tibi notus ales  
 Fulminis, candens Olor et remotis  
 20 Ignibus Argo :

Cetus, Orion, Procyon sub Hydra,  
 Chiron et Pistrix fluvius calensque  
 Sirius, Piscis, Lepus et corusca  
 Luce Canopus.

25 Noscis, ut vasti per inane caeli  
 Unde crinitus rutilet cometes  
 Curque subductus fugiat decoro  
 Lumine Phoebus.

Noscis aestivos spatiostiores  
 30 Circulos Phoebi; tibi nota causa est,  
 Cur vel hiberni breviore currant  
 Limite soles.

Noscis obliqui, pater, alta caeli  
 Signa, quae rerum variant figuras  
 35 Et suis donis geneses levato  
 Sidere servant :

Aries et Taurus Geminique, Cancer  
 Et Leo, Virgo, Libra Scopiusque,  
 Tela cum Capro, liquido et natantes  
 40 Flumine Pisces.

Omnis in caelo tibi notus ordo est,  
 Quam vagi currant rapidis retorti

Circulis septem minimis rotantes  
 Orbibus orbes,  
 45 Quis ferunt causis animata terrae  
 Orbitis certis sua fata ferre,  
 Omne venturum quibus ora produnt  
 Candida vatum.  
 Quam fuit preeceps hominum furentum  
 50 Cura, quae divis proprios labores  
 Tollit; et quisquis deus esse poscit  
 Non bene sanus.  
 Tu vide cautis oculis latentis  
 Ordinem fati, fuge suspicari,  
 55 Quo deos ludas mea vel futura  
 Tempora fallas.  
 Hinc mihi nostram, caveas, puellam  
 Vultibus caeli facias protervam  
 Te nisi carum fugiens monente  
 60 Vendere cunnum.

*18. Ad Andream Pegasum;  
 hortatur ad peregrinationem transmarinam.*

Quem concha nostri cantet Apollinis,  
 Quaeris, poetae non minimum decus,  
 Et Pegaseae quem sorores  
 Nos subeant celebrare plectris.  
 5 Non nostra magnis principibus vacat  
 Camena, trita sed graditur via  
 Et te iubet carum sodalem  
 Pindaricis fidibus reponi.  
 Nos aequa stringunt astra favoribus,  
 10 Quae nostra iungunt pectora mutua,  
 Seu Libra nobis aut benigno  
 Erigone fuit orta vultu  
 Sive igne fulgens Iuppiter aureo  
 Vel sidus artans foedera amantium  
 15 Aut igneus Phoebus, vagantes  
 Qui medius volat inter orbes.  
 Non te maligni lumina Cronii  
 Nec Martis urens stella nocentius  
 Aspexit aut vafer doloso  
 20 Mercurius gradiens galero.  
 Sive aestuosi torrida circuli  
 Me zona aduret non tolerabilis

Aut pigra mundo congelato  
 Sidera Sauromatum videbunt,  
 25 Virtutis altae semper ero memor  
 Et Pegasei nominis incliti,  
 Cui frontis inconfusa fraude  
 Stat probitasque fidesque tota.  
 Quando alta salsi scandimus aequoris  
 30 Longo videntes ordine Cycladas  
 Et insulam Saturnianam,  
 Inde Rhodon Cypriamque terram,  
 Hinc regna regis, quem Mareotica  
 Tellus honorat, quando videbimus,  
 35 Et monstra Nili fabulosis  
 Sicanis memorata chartis,  
 Hinc thure odoro quo sit Arabs suo  
 Et terra rubro littore nobilis  
 Et Iudeorum gens vetusta  
 40 Saetigeris inimica porcis,  
 Phoebi calentem cernere verticem  
 Iuvabit, umbras corporibus negans  
 Quando levatus stat sub axe  
 Ignivomo radiatus ore,  
 45 Aestum feremus sideris ardui  
 Et nulla vitae crede pericula,  
 Dum cura sit Phœbo sacris de  
 Vatibus atque animis benignis.

*19. In Crispum Clogomuram poetarum aemulum.*

Interpres Iovis et beatitatis,  
 Clamosus superumque praedicator,  
 Indoctae moderator et catervae,  
 Dum celsa tumidus boas cathedra  
 5 Et solus sapiens tibi videris,  
 Stultorum venerabilis magister,  
 Quid tantum immeritum premis poetam  
 Et sacras laceras dicax Camenas?  
 Ut vulgi tibi compares favorem  
 10 Et Phœbi tibi concites sagittas.  
 An nescis, cithara canende nostra,  
 Nos urbes fugere et frequentitatem  
 Insani populi magis cavere,  
 Quam vel Sithonias grues pruinias  
 15 Vel mollis Libycos Sabellus aestus?  
 Nos fontes vitrei iuvantque colles

Et rtpae gelidae astrepentis undae  
 Umbrosaeque coma tremente silvae  
 Et campos cupio aerosiores,  
 20 Quo templum Iovis et beatitatem  
 Et quo principe stet renatus orbis,  
 Purgatis animis magis videmus,  
 Quam tu, qui populi veheris aura  
 Et vitam sequeris beatiorem,  
 25 Ut ventrem tibi farcias voracem,  
 Ut vestes tibi fulgeant nitentes,  
 Ut grandes tibi compares cucullos  
 Et nummos tibi compares perennes,  
 Ut pluma iaceas piger tepenti,  
 30 Ut scortis valeas libidinosis  
 Largus munificis adesse donis,  
 O sanctus Iovis inferi sacerdos.

*20. Ad Georgium Morinum in laudes eloquentiae.*

Morine aeternis celebrande Musis,  
 Sarmatum clarum decus et coruscum  
 Sidus, algentes ubi torquet Ursas  
 Zona nivalis

5 Quaque, dum Cancro rutilo levatur,  
 Phoebus aestivas remoratur horas  
 Circulum vincens paribus secantem  
 Lancibus orbem.

Integrae mentis studio colendus  
 10 Civibus nobis neque negligendus,  
 Cui bonum rarum probitas fidesque  
 Prisca refulget,

Saepius lautis epulis honorans  
 Convocas doctam, generose, turbam  
 15 Instruens largis tua liberalis  
 Munera mensis,

Comis et doctis salibus facetus  
 Gesta priscorum memoras virorum  
 Militis Grai et Latii Quiritis  
 20 Arma recensens.

Publicos tractas sapiens labores  
 Et graves fasces, quibus inquietus  
 Consulis rebus sociale servans  
 Foedus in urbe.

25 Impetum vulgi moderare doctus  
 Ore facundo, riguus per alta

Quale cum torrens ruit explicatis  
     Imbris auctus,  
 Qua ferunt coetus hominum vagantum  
 30 Arte coniunctos nemorosa quondam  
     Antra sub vastis specubus ferino  
         More colentes,  
 Sordidus victus quibus et rigebat  
     Tristis aspectus nec amanda rebus  
 35 Urbicis virtus sociis regebat  
         Mentibus urbes.  
 Nec dedit quisquam superis honores  
     Aedibus sacrisadolens tepentes  
     Turibus flamas cecidit nec illas  
 40     Taurus ad aras.  
 Ast modo pulchris veneranda honestas  
     Moribus splendet superumque cura  
     Plurimis servat metuenda cultis  
         Numina templis.  
 45 Seu tibi tristem vagabunda sortem  
     Sors feret blandum vel amica vultum,  
     Utraque erectus videas protervi  
         Numinis ora.  
 Est brevis vitae fugientis ordo,  
 50 Cernimus qualem tenui vaporem  
     Halitu tolli roseo levatum  
         Sole cadentem.  
 Crastino forsan moriere sole  
     Nec sacer nummus poterit morari  
 55 Fata, quin parvo tumulo obruare  
         Pulvis et umbra.  
 Ergo iam laetas facias adesse  
     Temporum causas tibi submovendo  
     Mordicas curas volucris capessens  
 60     Gaudia vitae.  
 Seu tibi clarae subolis recursat  
     Cura praemonstrans patrios honores  
     Spemque nunc inter metus altus errat  
         Pectora torquens,  
 65 Has graves curas superis relinquas,  
     Qui dabunt nostris meliora votis  
     Fata, quae certis venient superni  
         Legibus orbis.  
 Has graves curas studiis levato  
 70 Candidus rerum repetendo causas,

Siderum cursus et amoena clari  
 Lumina Phoebi.  
 Has graves curas fidibus canoris  
 Pelle divinas relegens Camenas,  
<sup>75</sup> Quas sacer vatum calor expolito  
 Carmine promit.  
 Has graves curas dederis sepultis  
 Inferum turbis, ubi dirus ore  
 Pluto pallentes animas coeret  
<sup>80</sup> Carcere caeco,  
 Quo semel quisquam fuerit receptus,  
 Ferrei vectes reducem negabunt  
 Legibus diris tumidi prementes  
 Claustra tyranni.

*21. De cena Miricae.*

Cum tua Pannonio fuerat, Mirica, Lyaeo  
 Cena parata mihi  
 Tractaque Parrhasiae languent ubi plausta puellae  
 Raraque stella micat,  
<sup>5</sup> Miraris, pedibus surgam male fultus et uncto  
 Lentus eam capite.  
 Civibus et cunctis narratur ineptia nostra  
 Iam male nota mihi.  
 Sarmaticos volui potando discere mores,  
<sup>10</sup> Sed mea fata negant.  
 Sed revoca hesterni non servans pocula Bacchi  
 Verbaque docta parum  
 Et tua Socraticis rediens convivia verbis  
 Sobrius accumulem,  
<sup>15</sup> At, semel astrifero Phoebus revolutus in orbe est,  
 Irrevocandus eo.  
 Si tua panduntur fictae tantum ostia fronti,  
 Semper ego haec fugiam.

*22. Ad maritum Hasilinae insensatum.*

Es caecus patulos habens ocellos  
 Oedipo mihi comparandus, olim  
 Qui nixus baculo tremente natam  
 Ad vota Antigonem secutus ibat.  
<sup>5</sup> Es prima male masculatus aura,  
 Nocturna genesi renatus undis,  
 Vel Taurus tibi Scorpiusve surgit.  
 Es surdus gemina sub aure factus;  
 Dignum Narycio dares sodalem.  
<sup>10</sup> Nec nares rapiunt vagos odores,

Ut quondam Icariae canis puellae  
 Vel silvis comites vagae Diana.  
 Heu, sensus tibi consenescit omnis,  
 Ceu quondam riguit parens loquaci  
<sup>15</sup> Contemnens superos superba nido,  
 Rivaes tua cum tot uxor ardet,  
 Quot Vervex violas dedit nitentes,  
 Quot sidus culices Leonis infert,  
 Quot fructus opulenta Libra donat,  
<sup>20</sup> Quot ramos Caper algidus renudat.  
 Sed semper latus ambiunt puellae,  
 Qui nostris nitidis sacris dicati  
 Deberent speculum referre morum.

*23. Ad Statilium Simonidem medicum et philosophum.*

Bis per obliquum roseam reduxit  
 Lampadem Phoebus rubicundus orbem,  
 Bis fuit claris hebetatus astris  
 Portitor Helles,

<sup>5</sup> Dum vago Celtis pede sum receptus  
 Sarmatum campis, ubi rarus altis  
 Moenibus murus facies nec ullis  
 Urbibus extat.

Hic mihi doctus, Statili, sodalis  
<sup>10</sup> Moribus lectus paribus, nigrantes  
 Seu mihi noctes placuisse soles  
 Ducere Baccho.

Sorte felices bonus extimasti,  
 Qui brevis vitae poterint labores  
<sup>15</sup> Ferre cum caris sociis trahentes  
 Tempora laeta.

Saepe Fortunae memoras bifrontis  
 Perfidum ludum sapientis esse  
 Spernere et tristem faciem severis  
<sup>20</sup> Demere rebus.

Invidet curis deus ipse nostris,  
 Nosse qui cunctos voluit beatos,  
 Ferre quod fatum statuere divi  
 Quemque per orbem.

<sup>25</sup> Saepe, quae doctis lateant Camenis,  
 Volvis abstrusas repetendo causas  
 Et tibi terso veniunt ab ore  
 Singula verba.

Debiles artus reparas peritus  
<sup>30</sup> Et salutares tribuis medelas,

Dum fatiscentes tenuat medullas  
 Tabidus humor.  
 Pone rugosos tumidosque nares,  
 Ambitum caecum; manifestus ora  
 35 Proferas doctum nitido serenans  
 Lumine pectus.  
 Perge, quo virtus tua te vocabit,  
 Candidus linquens simulata verba et,  
 Si tenax recti fueris, beato  
 40 Pectore regnes.

*24. De Drasone cantore.*

Draso Cracovina fuerat notissimus urbe  
 Scurravagis pedibus.  
 Hic bene cantavit, calamos et organa movit,  
 Barbiton et citharam,  
 5 Sed tulerat vetuli iuvenis mala taedia cunni  
 Cana premens femora.

*25. De Basylla convivante.*

Incomposta sedet Basylla mensis  
 Inflexo ore loquens parum decenter,  
 Cum mammae sibi pendulas coaptat  
 Et foedis digitis cibum reprensat,  
 5 Quos aut podice merserat vel ano  
 Et si quid proprius patescit illis.  
 Nec nares sibi mucidos retergit,  
 Sed turpi sonitu excitat screatum,  
 Quo phlegma uvidulum suum resorbet,  
 10 Quo lances mihi conspuit patentes,  
 Quo scrofis poterit movere orexim.  
 Convivis tamen haec putat placere,  
 Credam, quos laqueo trahit sequaci  
 Et sensus quibus obstupescit omnis.  
 15 Sed suspensa mea est tabella templo  
 Me evasisse loquens Charybdis aestum.

*26. De risu eiusdem.*

Cum pandit tumidas Basylla buccas  
 Et dentes sibi buxeos relaxat  
 Livosa facie trahente rugas,  
 Ut frontem iocus urbicus pererret,  
 5 Mox guttur male percito palato  
 Indocio rude personat cachinno,  
 Hinc folles premit artiore vento  
 Argutoque volens placere risu  
 Ceratis labiis per ora vocem  
 10 Fundit, ceu strepitat maritus ovi.

*27. Ad generosum dominum Bohuslaum de Hassenstein  
de situ Pragae et sectis et haeresibus in Bohemia.*

Bosle, Boemorum decus et ruentis  
Unicum lumen patriae resurgens,  
Fama quem clarum beat et per omnem  
Provehet orbem.

5 Uberi gleba tua Praga cincta est,  
Quam rapax scindit fluvius per Albim  
Exuens nomen sociis petentes  
Fluctibus aequor.

Visa non urbs est meliore caelo,  
10 Explicat septem spatiosa colles  
Ambitu murorum imitata magnae  
Moenia Romae.

Cerneret tantas veteris ruinas  
Gloriae regum, furor ut tyrannum  
15 Impulit Sizkam metuenda frangens  
Templa deorum.

Tempore ex illo rabies reposta  
Insidet crudis animis nepotum  
Urbsque per multos agitata motus  
20 Corruit alta.

Publicis curis male praesidetur,  
Imperat passim vario furore  
Vulgus, haud virtus rudium nec ulla  
Splendet honestas.

25 Legibus nullis superi coluntur,  
Ille Romanos sequitur, sed alter  
Approbant Graios, colit hic profani  
Sabbata verpi.

Hic deos nullo residere caelo  
30 Dicit et nostras animas caducas,  
Ceu fugit densus tenuatus alta  
Halitus aura.

Ille gentiles hereses secutus  
Et novos ritus ceremoniarum  
35 Approbat leges vetitas Britanno  
Biclephe scriptas.

Bosle, tu tantos fugiens tumultus  
Temporum causas sapiens secutus  
Impetum vulgi fugis et furentem  
40 Deseris urbem,

Quem regit passim petulans voluptas,  
Otium et miscens animos cupido

- Aeris et multas faciens ruinas  
Perfidus error.  
 45 Ductiles rivos sequeris beatus  
Garrulis ripis tua tecta condens,  
Qua leves undae veniunt loquaci  
Murmure ad aures.  
 Consonant voces volucrum propinquis  
 50 Insulis densam gelidis per umbram,  
Quas facit ripa triplici refusa  
Fluminis unda.  
 Caespites felix virides pererrans  
Bacchicos colles et aprica lustrans,  
 55 Quoad tibi dulcem generat soporem  
Unda susurrans.  
 Roscidas herbas premis atque olentes  
Graminum flores, ubi purus aer  
Corporis vires creat et tepentes  
 60 Suscitat artus.  
 Possides pulchrum, generose, collem,  
Quem recens Phoebus videt et recedens  
Et tuam caelo medio levatus  
Aspicit arcem.  
 65 Fervidi Phoebi caput expavescens  
Frigidas felix casulas subintras,  
Quas dolus nullus subit aut scelesti  
Pectoris astus.  
 Piscibus fraudes vario labore  
 70 Ponis et caelo liquido natantem  
Alitem fallis, tua cum reluctans  
Retia sentit,  
 Nec tuos vitat leporina casses  
Praeda nec dorcas volucerque cervus;  
 75 Implicas, quicquid colit alta densae  
Devia silvae.  
 His ubi fessus studiis soluta  
Mente de rerum, generose, causis  
Disseris terras, maria insulasque  
 80 Pectore cernens,  
 Doctus astrorum numeros reservas,  
Quae meent cursu, memoras, licenti,  
Quaeque sublimem rutilent per orbem  
Sidera, noscis,  
 85 Quae volant nullis remoranda frenis  
Atque nostrorum statuunt laborum

Ordinem certum stabili rotando  
 Singula fuso.  
 Doctus herbarum mihi saepe vires  
 90 Nobilis gemmas memoras metalla et,  
 Doctus es succis relevare taetro  
 Corpora morbo.  
 Quotque stent caelum facies per altum,  
 Tot refers terrae species in orbe  
 95 Totque virtutes superum refusas  
 Dicis in herbas.  
 Alter ad vulgi instabilis favorem  
 Spiret et fasces ferat inquietus,  
 Ut ruat tandem graviore mole  
 100 Praecipitandus.  
 Alter ad regum vigilet superbas  
 Splendidus mensas, colat hic per omnes  
 Aleam noctes furiatque multo  
 Potus Iaccho.  
 105 Ille nummorum studio ligatus  
 Instruat fraudes, alias voracem  
 Expletat ventrem, ferat impudentes  
 Alter amores.  
 Ille morbosos adeat grabatos  
 110 Contrahens nares sibi nauseantes,  
 Corporum sordes et oleta tractans  
 Semper egenus.  
 Ille verbosus numerosa legum  
 Rubra percurrat repetens adempti  
 115 Limites agri tumidoque victus  
 Palleat ore.  
 Alter obscuro veniat cucullo  
 Fronte se facta simulans deorum  
 Arbitrum crudis animo rapaci  
 120 Varior ursis.  
 Mente tranquilla tibi vita serpat  
 Pectoris curas fugiens inanes  
 Et colat Musas citharamque Phoebi  
 Pectus honestum.

*28. De sacerdote mulierioso et Basylla.*

Iurabat mulieriosus olim  
 Testatusque deos deasque cunctos  
 Numquam putidulam suam Basyllam

- Sacratis oculis videre velle,  
 5 Non vultum sibi lividum placere  
 Viscosas totiens bibens polentas  
 Et centum quater inquinatus offis,  
 Non crines sibi sordidos placere  
 Cornicis mage veste nigriores  
 10 Nec fauces sibi rancidas placere  
 Halantes quasi putidam mephitim,  
 Non clunes sibi defluas placere  
 Et ventrem neque succulentiorum  
 Nec cunnun hispida labra comprimentem  
 15 Salinis specubus profundorem  
 Et portis Tyris patentiorum,  
 Quem mille exterebraverant Priapi  
 Et mille exterebrent salaciore.  
 Haec sacro ut fuerat soluta amore,  
 20 Mox struxit meretricios colores  
 Suspirans gemebundulo dolore,  
 Discurrens pede dissolutiore  
 Et fictis lacrimis epistolisque  
 Aversos revocat sacros amores.  
 25 Hic verum ratus est fuisse amorem,  
 Semper putidulam tenet Basyllam.

*29. Ad Phoebum et Musam suam energetice.*

- Quid graves mentis mihi fers labores,  
 Musa, tam caecas repetendo causas?  
 Fine quo tandem fluidi fatiscant  
 Semina mundi,  
 5 Fine quo tandem radiosa caeli  
 Astra decurrant varios agentes  
 Circulis orbes, vaga vel quiescat  
 Orbita Phoebi,  
 Cuius adventu reparatur orbis  
 10 Innovans vultus hiemis vetustos,  
 Ceu cubans pullos globulis latentes  
 Excitat ales.  
 Phoebe, qui fatum sociis gubernas  
 Orbibus divum medius vagantum  
 15 Quique divino stimulas furore  
 Pectora vatum,  
 Te precor, nostrae dator alme mentis,  
 Clarus inspires, tepidum relinquens  
 Spiritus corpus numerum an beatus  
 20 Sideris addat,

An sub infernas rapiatur undas  
 Amne Lethaeo positurus altos  
 Pectoris sensus iterum rotandus  
 Tempore certo

25 Vel quasi extincta fugiat favilla  
 Et velut terrae sinibus levatus  
 Stat vapor densus tenuique tandem  
 Perditur aura.

Sed quid altarum, malesana, rerum  
 30 Quaerimus causas hominem latentes ?  
 Inter apricos viridesque colles  
 Dic mihi carmen,  
 Quod canat carae titulos puellae  
 Et leves nymphas celeresque Faunos,

35 Quo mihi somnos placidos movebit  
 Garrulus humor.

Nascimur vita moriente prima  
 Luce, quo tandem numerum impleamus  
 Orbis obliqui redeatque rursus

40 Alter in ortus.

Occidunt soles redeuntque nullo  
 Fine praefixo rapiente mundo ;  
 Nos ubi Charon semel amne vexit,  
 Nemo redibit.

45 Carminum dulces resonemus odas,  
 Concinant laeti pueri tenores  
 Et graves fauces cithara sonante  
 Temperet alter.

Poculis Bacchi madeamus omnes  
 50 Candidi, vultu veniat nitenti,  
 Quae novis nuper tetigit sagittis,  
 Elsula, pectus.

I, puer, pennis fugiens Amoris  
 Ocio blandam et sibi dic salutem  
 55 Nec redi, nostris nisi sit futura his  
 Elsula tectis.

Non sinas, fulvos religet capillos  
 Nec Coas vestes digitis nec aurum  
 Obliget, nudam speciosiorem  
 60 Iudico formam.

## LIBER II.

*1. Ad Hasilinam erotice et epithymice.*

Quis me Sarmaticis restituet plagis  
 Vestitisque levi gramine collibus  
     Aut quis reddet amicum  
     Me pratis viridantibus?

5   Qua pulcher gelidis Vistula fontibus  
  Erumpit tenui flumine pervius  
     Carpathumque relinquens  
     Urbem Sarmaticam secat,

Qua cunctas superat candida feminas  
 10 Nostris carminibus candidior micans,  
     Nostros Hasa calores  
     Aevo perpetuo tenens.

Seu crudos iterum Sauromatas petam  
 Vel curva aestiferi bracchia Carcini  
 15   Aut septemplicis oris  
     Nilum fontibus abditis

Vel crisplos Arabas foedaque sabbata  
 Seu Gangen auriferum sole sub Indico  
     Vel quas ultima tellus  
 20   Metas Herculis aspicit,

Sive adversa polo regna nigrantia,  
 Hiberna Aegoceros quae premit ungula,  
     Me contingat adire,  
     Nemo solvet amoribus.

25 Non me Thessalico carmine femina  
 Nec Phoebea manus nec rigidi sénis  
     Chironis valet herba  
     Tantis solvere nexibus.

Quando de patria prosiliens domo  
 30 Expectata venis, ut mihi carior  
     Cunctis, Hasa, puellis  
     Solves pollicitam fidem,

Te noster genitor, te genitrix manet  
 Et fraterna cohors mixta nepotibus.  
 35   Tu matura venito;  
     Verus nescit amor moras.

*2. Ad sodalitatem litterariam Ungarorum  
de situ Budae et monstis, quae praecesserant  
mortem divi Mathiae Pannoniae regis, penthice.*

Ultimo nobis celebrandi amici  
Pannones claris studiis faventes  
Quique sub caelo meliore nati  
Sole propinquo

<sup>5</sup> Auream terram colitis beati,  
Quam rigat pulcher Savus et sonanti  
Defluens cursu Dravus et remoti  
Nominis Ister.

Alluit mitem citus ille collem  
<sup>10</sup> Pluvios austros boream et videntem,  
Qui gerit pulchram resupinus urbem  
Regis et arcem.

Mathiae magni monumenta regis  
Vidimus priscis ibi multa saeclis  
<sup>15</sup> Aequa, seu Martis studium sequere aut  
Palladis artes.

Solus hic vastas tumidi procellas  
Armaque Eoi potuit tyranni  
Ferre, dum late dederat ruinas  
<sup>20</sup> Perfidus hostis.

Dum premit victor refugas catervas  
Et truces enses animi ferocis  
Sternit et saevam rabiem cruentis  
Stragibus arcit.

<sup>25</sup> Sacpius mecum repetistis alta  
Mente, quae rerum fuerint latentes  
Inferum causae superumque quis sit  
Lucidus ordo,

Unde sublatum mare fluctuosis  
<sup>30</sup> Turgeat ventis, nebulosus aer  
Unde vel vultus triplices colorebat  
Nubibus Iris,

Igneus Phoebi globus unde tanto  
Impetu currat rapido rotatus  
<sup>35</sup> Turbine et lentam roseis reducit  
Solibus umbram

Et modo celsas properans ad Ursas  
Parturit flores, iterum rotatus  
Orbe declivi pluvium recurrit  
<sup>40</sup> Pronus in austrum.

Saepius mecum rigido sub axe  
 Frigus Arctoum pepulisti altis  
 Noctibus, blando mea dum calebant  
     Tempora Baccho,  
 45 Qui modo vultus posuit serenos  
     Arma fraternis animis perosus  
     Et gemit raris habitata maestus  
     Arva colonis.  
     Martios longos queritur furores  
 50 Et truces enses galeae micantis,  
     Stridulos arcus et abacta lento  
     Spicula cornu.  
     Non habet secum Satyros procaces  
     Nec leves Faunos calamis sonantes  
 55 Maeret et nullis comitata pratis  
     Gratia nymphis.  
     Quam gravem cladem superi scientes  
     Noscere humanum voluere pectus,  
     Dum fuit magnis patefacta monstris  
 60 Ira deorum;  
     Visus ardenti rubicundus igne  
     Crinibus sparsis rutilus cometes  
     Et stetit Mavors facie minaci  
     Herculis astro  
 65 Phoebus et tantos fugiens tumultus  
     Maestus abscondit rosei micantem  
     Verticis vultum, soror ut decora  
     Lumina texit,  
     Quin et infausto genitrix labore  
 70 Tristis immanem peperit draconem,  
     Ille funesto furiale sparsit  
     Ore venenum.  
     Hinc graves mundo venient ruinae et  
     Bella per multas satianda caedes,  
 75 Quas parit fulvum stolidis petitum  
     Regibus aurum.  
     Quale nobiscum deus ipse fatum  
     Tentat aut qualem superis dedere  
     Legibus sortem, teneamus aequam et  
 80 Tempore mentem  
     Et brevis nobis abeunt beati  
     Temporis soles, statuatur altis  
     Cymbiis Bacchus, fugiant necantes  
     Pectora curae.

85 Increpet nervos citharae canoros  
 Mobilis pollex, veniat solutis  
 Crinibus curas relevans edaces  
 Mollior aetas.

Cum data est nobis brevis hora vitae  
 90 Et cito rugae properent seniles,  
 Vixerat felix, sua qui fugavit  
 Tristia laetis.

*3. Ad Benedictum Tychtelium  
 medicum et philosophum Viennensem.*

Vienna latis moenibus imperans,  
 Quae Friderici patria Caesaris,  
 Me suscipit, dum Sarmatarum  
 Pannoniaeque plaga reliqui,  
 5 Suis adhaerens semper ineptiis  
 Et terminorum vana vocabulis,  
 Dum bella verbosus sophista  
 Per Socraten gerit et Chimaeram.

Asinum volantem tollit ad aethera,  
 10 Non esse et esse involvit et arduam  
 Sophismatum narrationem  
 Barbarico tonat apparatu.

Baculum propinquo sistit in angulo,  
 Quo nixus olim forte Diogenes,  
 15 Cinaedus ut turpis plateis  
 Exitium canibus minatus.

Doctos amicos hic ubi quaerito  
 Favore et omni cum studio paro,  
 Tu solus inventus Camenas,  
 20 Tychtelius, celebrans vetustas.

Tu Graeca nostris aedibus excipis  
 Clarisque natis discere praecipis  
 Et docta quicquid scripta vatum  
 Blandiloquis recitant libellis.

25 Mi saepe Bacchi pocula dividis  
 Domumque nostram muneribus tuis  
 Saepissime ornas liberalis  
 Verbaque sunt tua iuncta factis,

Non verba spargis vanus in aera  
 30 Promissa fallens cum fide lubrica,  
 Qui mos solet nunc esse tritus  
 Austriacis mihi notus oris.

Hoc virus infert hospes Italicus,  
 Nostris sub oris qui modo cognitus

35      Et nostra fictis blandimentis  
Pectora simpliciora fallit.

Sed te beata prole beaverat  
Deusque casta coniuge copulat  
Et stant decenti tecta cultu  
40      Divitiis cumulata honestis.

*4. Ad vetulum poetastrum et rapofagum.*

Bis denos, memorant, tibi per annos  
Germanus iuvenis poeta dixit  
Orator vehemens volens vocari;  
Nullos versiculos tamen reponis  
5 Nullis carmina dedicans amicis  
Nec verba intrepidus soluta scribis.  
An tantam tibi gratiam tuorum  
Librorum, vetulus poeta, servas,  
Ceu quondam Solymi dei minister  
10 Arcanum voluit latere sacrum?  
Sed te iam pudeat coli poetam  
Vel saltem mihi versibus responde!  
Sed nullis mihi versibus respondes.  
Iam dicam: vetulus poeta non est  
15 Dignus rapofagum docere vulgus!

*5. Ad Venerem et ad Elsulam Noricam.*

O diva salsis edita fluctibus  
Ferventiorum mater amantium  
Suspiriis cogens nocentes  
Nos iterum renovare flamas,  
5      Quid nostra versas, o dea, pectora  
Rursus novando pristina vulnera  
Blando deo dans inquietis  
Mollem animum cruciare curis?  
O quam beato nuper ab horridis  
10 Celtis redibam sidere Sarmatis,  
Dum liberum pectus querelis,  
Barbara quas Hasilina fecit!  
Sed nunc sub oris Elsula Noricis,  
Qua Regus Istro se sociat vago,  
15 Maiore telo nostra fixit  
Pectora luminibus venustis.  
Quale antecedit sidere Cynthium  
Sub axe verno florifer Hesperus  
Aut quale stat vultus Diana,  
20      Dum solido reparatur orbe,

Talis sub oris Elsula Noricis  
 Inter pueras fulget amabiles,  
 Dum lacteo vultu solutis  
 Candida progreditur capillis.

25 Per alta caeli et fulgida sidera  
 Et Martis astrum et per fera spicula  
 Quae bina fert saevus Cupido  
 Perque deam cupidis faventem.

Nulla est futuro tempore carior,  
 30 Integriorem cui dabo spiritum,  
 Et iam cavebo, nulla nostris  
 Femina stet peregrina curis.

O quanta noctis tu mihi gaudia  
 Pridem dedisti, dum tua bracchia  
 35 Amplexibus nostris locabas  
 Mollibus excipiens lacertis!

Non sic vetustis vis hederacia  
 Muris adhaeret, sic neque consitis  
 Sese implicat palis renatis  
 40 Caudicibus generosa vitis.

O quanta nostris tunc mora in oribus,  
 Fervens voluptas quando sub intimis  
 Nervis calebat, concitato et  
 Corpora sunt resoluta motu!

45 Hinc parva nostris pauca laboribus  
 Quiesque utrisque est sumpta tepentibus,  
 Dum rursus instaurat Cupido  
 Proelia fervidiora lecto.

Hinc verba blando murmure tollimus,  
 50 Dulci susurro et tempora fallimus,  
 Dum lutea Aurora videmus  
 Ignifluum remeare Phoebum.

O tempus omnes laetitas secans  
 Et lux renascens invida amantibus,  
 55 Cur separari nostra cogis  
 Oscula cum gravibus querelis?

Si nox amanti addicitur altera,  
 Stet longa, quaeso, ut Sauromatis solet,  
 60 Dum frigido sub Capricorno  
 Nulla dies oritur Suedo.

Sed iam sub orto sidere cedimus,  
 Valeto blandum dans prius osculum  
 Et munus hoc parvum perennis,  
 Elsula, suscias amoris!

*6. Ad Germanos diversas artes inferentes,  
se autem tantum in patriam Musas velle inferre.*

Sint alii, medicina quibus sit cura perennis,  
Et doceant praecepta fideles.  
Sint, qui iura ferant et pulchris legibus urbes,  
Reges cum ducibusque gubernent,  
Inter quos fueras primus, Heimburge Georgi,  
Cognato mihi sanguine iunctus.  
Sint, qui sacra deum doceant populumque ferocem  
Per patriam nostram erudientes.  
Sint alii variis referentes cultibus artes,  
<sup>10</sup> Quae corpus decorent animumque,  
Unica cura mihi Latias inferre Camenas  
Et Grais fidibus resonantes,  
Quo si non placeam vivus, post fata tamen me  
Non defunctus honor manet aevo.

*7. Ad Elsulam.*

Elsula, cur silenti  
Nocte, dum stant agminibus sidera congregatis  
Et quies alta rebus,  
Ad tuos postes tacitis luminibus sacerdos  
Te vocat et canora  
Barbito mollem et tremulo gutture dans querelam  
Succinit, ut furentes  
Incitet flamas fidibus saucia corda pulsans ?  
Tuque voluta pallis  
<sup>10</sup> Exilis stratis tepidis incubitans fenestris,  
Dulcia plectraque hauris.  
Ast ego ut te carminibus Latiis vocavi,  
Altius ipsa dormis.  
Quam grave est me per patriam fieri poetam  
<sup>15</sup> Carmina sola dantem !

*8. Ad divam dei genitricem  
pro concordia principum Germaniae.*

Diva, quae magni genitrix tonantis,  
Impera pacem populo furenti,  
Ne ruat nostris vitiis gravatus  
Teutonus orbis.  
<sup>5</sup> Aestuat caeco trepidum tumultu  
Vulgus antiquas reparans ruinas,  
Machinas belli statuens refectis  
Moenibus urbis.  
Quis ferus Teucer fuerat petendus,  
<sup>10</sup> Barbari reges, Latium superbum et

- Quisque Germani foret amplianda  
Gloria regni.
- Caedibus nostris placet impiare  
Dexteras iunctas geniali amore,  
15 Mutuum tandem ut stolidis reponant  
Proelia damnum.
- Hic caput condit galea mīcante,  
Hic quatit fustem furiens minacem,  
Hic fremit stricto gladio, hic feroci  
20 Cingitur ense.
- Excitat lentes alias favillas  
Plumbeos torquens globulos in auras,  
Quis crepat vasto sonitu resultans  
Fumidus aether.
- 25 Stat pecus maestis tremulum sub arvis  
Arrigens aures crepitu trementes,  
Caespites notos metuens abactis  
Linquere tauris.
- Praeferunt vultus pedites minaces  
30 Martios orbes celeres rotantes,  
Dum canunt rauco stimulando pectus  
Tympana pulsu.
- Fervidus spumat sonipes sub armis  
Et vocat gestu ad fera bella Martem,  
35 Dum ferit vasto fremitu cavatam  
Ungula terram.
- Stant piae matres rabidum perosae  
Fletibus Martem ligulis furentem.  
Hic premens Suevos alioque tendens  
40 Perdere Boios.
- Diva, tu votis miserum vocaris,  
Solve funestum, veneranda, bellum  
Nosque gentili socians amore  
Foedera iunge !
- 45 Viteos Rheni tueare colles  
Et Palatinas rege, virgo, sedes,  
Noricos agros et amoena culta  
Fluminis Istri.
- Sic tuis sacris celebremus hymnis  
50 Supplices laudes redolente ture  
In tuis templis ferientque summum  
Carmina caelum.

*9. Ad Graccum Pierium in mores aulicos penthice.*

Non ultimorum, Gracce, sodalium  
 Loco canendus, qui mihi candidus  
 Semper mearum praeco rerum  
 Caesaream fueras per aulam.

5 Hinc nostra crudis carmina versibus  
 Volunt futuris dicere saeculis  
 Te vatibus doctis amicum  
 Pierio genitum sub antro  
 Et monte sacro, qui resonat choro  
 10 Musarum et alto carmine Pythii,  
 Virtutibus multis decoro  
 Iuppiter ut tibi fulsit ortu.

Tibi aula nostri cognita Caesaris  
 Et barbarorum pectora principum  
 15 Et Noricorum gens ad Istrum  
 Doctiloquas odiens Camenas,  
 Ignava quaestum degenerem sequens  
 Plenumque rauco cum strepitu forum  
 Ventrique amica et comparandis  
 Divitiis furiosa caecis.

Nemo hic per altum sidera cardinem  
 Miratur aut quae vita beatior  
 Paranda sit curtum per aevum  
 Quidve ferat speciosa virtus,

Sed mente turgens ambitio fuit  
 Humorque taeter, qui premit invidos,  
 Et spes pererrans turbulentis  
 Pectora non bene firma curis,

Quae regis aulam et Caesaris obsident,  
 30 Velut cruentus Tartara Cerberus  
 Et monstra, quae portis Averni  
 Terrificis resident figuris!

Haec inter unus tu nitidus micas  
 Vultu serenans pectora lucido,  
 35 Ridendo curas et caducae  
 Tempora non redditura vitae.

Sic, sic beato pectore vixeris,  
 Vulgi persosus dum bona despicias  
 Mortalibus concessa paucis  
 40 Atque animis nisi nota diis.

*10. De denariis planetarum et orbium  
ad aetates et numerum annorum hominum.*

Cum denis decies volutus annus  
Solari tibi computatur orbe,  
Iam quisque officium suum peregit,  
Quos docti genesi ferunt praeesse  
⁵ Et vitae cuiquam ordinem parare.  
Primos Luna regens decem per annos  
Humores vegetabiles ministrat,  
Ut fecunda parens foveat calorem.  
Post denos puer inde natus annos  
¹⁰ Surgit Mercurius tibi magister  
Verba ac ingenium regens et artes.  
Bis deno ut iuvenis beatus anno est,  
Iam lasciva Venus premit sagittis  
Ferventesque rapit Cupido mentes.  
¹⁵ Tricenus tibi cum peractus annus,  
Iam Phoebus faciet virum sagacem  
Et mens iam radiis micat coruscis.  
Sed quinquennia cum decem notabis,  
Iam Martis furor urget ad nocentes  
²⁰ Irarum stimulos opumque quaestus.  
Sex deno tibi Iuppiter sub anno  
Pectus consilio replebit alto;  
Tunc surgit venerabilis senectus.  
Cum deni tibi septies voluti,  
²⁵ Saturnus gelidus trucem minatur  
Falcem, qua metit omne, quod sub orbe est.  
Octavus tibi quid denarius fert,  
Ex stellis tibi computabis altis,  
Quae fixae radiant sereno in orbe.

*11. Ad Sextum Tucherium iurisperitum paraenetice.*

Sixte Germanis celebrande Musis,  
Noricum clara generatus urbe,  
Quae suam totum tulerat per orbem  
Inclita famam,  
⁵ Nulla Germano melior sub axe  
Publicas novit moderare curas,  
Barbaros reges stolidumque docta  
Flectere vulgum.  
Caesaris nostri fuit illa sedes  
¹⁰ Semper et regi Latio petita,  
Ille Germanum quotiens coegit  
Ordine coetum.

Hac meum Caesar Fridericus olim  
 Verticem cinxit celebranda in urbe  
<sup>15</sup> Delphico signo rigidi decorans  
 Tempora vatis.

Urbe tu tanta suboles crearis  
 Stirpe priscorum, generose, patrum,  
 Ex quibus tanti veneranda constant  
<sup>20</sup> Membra senatus.

Docta Romanis regis ora verbis  
 Et tenes priscum nitidus leporem,  
 Duriter nullam tua blanda fundunt  
 Pectora vocem.

Te sibi magnum Latiae patronum  
 Senserant Musae, tua cum peregit  
 Cura, quod Boum patria canuntur  
 Carmina Phoebi.

Ergo iam nostris celebrate libris,  
<sup>30</sup> Te legent cuncti populi per orbem  
 Et tua in nullo reticetur aevo  
 Candida virtus.

Linque civiles, generose, causas,  
 Quae tibi nullam tribuent quietem,  
<sup>35</sup> Praemium iustis alius reisque  
 Crimina scribat.

Est velut vento quatiente pontum  
 Africo contra Borea furente  
 Civici iuris studium fatigans  
<sup>40</sup> Pectora rixis.

Sit satis doctum tumidas per undas  
 Monstra vidiisse et scopulos latentes  
 Et suum semper varie regentem  
 Protea vultum.

<sup>45</sup> Tu modo nostras venias Camenas  
 Noscere et rerum studio beandus  
 Disce, quid celsi radiosa possint  
 Sidera mundi,

Quae suis mixtis radiis per orbem  
<sup>50</sup> Temperant rerum species ligatas,  
 Corpori iungunt animos et acto  
 Tempore solvunt.

Non secus pulchra velut hora lege  
 Per suum certum revoluta pondus  
<sup>55</sup> It rotis iunctis resonatque vivo  
 Malleus ictu,

Sic suis sphæris animus ligatus  
 Corpori infundit varios vigores  
 Cordis impulsu retrahitque motum  
 60 Stamine lapso.

Quid iuvat tanto strepitu procaces  
 Insequi causas animum prementes ?  
 Sola pax mentis tibi dat beatam  
 Ducere vitam.

*12. Ad Bernardum Valkircum prospocietice.*

Bernarde priscis orte parentibus,  
 Qua culta inundat prata rapax Licus  
 Ex Alpium radice fusus  
 Danubii sociatur undis.

5 Praeter fluentes arx tua nobilis  
 Servans vetusti saxa characteris  
 Prospectat et campos patentes  
 Hercyniae loca vasta silvae.

Te solus inter, candide, nobiles  
 10 Musis amicus semper adhaeseras,  
 Ut prisca gestares beatus  
 Stemmatu nobilitate vera.

Rara haec sub oris gloria Teutonis  
 Prisco creatos sanguine nobiles  
 15 Musarum et optandae sophiae  
 Ingenuas habuisse curas.

Effrenis obstat mentibus impetus  
 Et blanda Bacchum quae sequitur Venus,  
 Aut barbari mores, gelato  
 20 Frigida quae dedit Ursa caelo,

Aut ense fulgens Perseus igneo,  
 Qui tanta nostris bella movet plagis,  
 Aut, nuda quae pendet catenis,  
 Andromede, religata saxis,

25 Vel nostra spectat turbidus Hercules  
 Aut regna versat, nulla quibus quies,  
 Aut fulgidis Auriga frenis,  
 Cepheus Arctophylaxe tristis.

Te nulla traxit prava sodalitas  
 30 Aut noctis error, quem Venus imperat,  
 Dum plateae Baccho furentes  
 Barbarico reboant tumultu.

Non ludus atrae te trahit aleae  
 Nec vina fraudant sobria pectora,

35 Sed fine recto stas modestus  
     Oraque sunt pudibunda poto.  
 Inter bibendum sollicitus rogas,  
     Quae forma terrae causaque fontium  
     Et quae maris natura multo  
 40     Concipiens sua monstra fetu;  
 Hinc doctus alto pectore sidera  
     Inquiris et quot sint vaga semina  
     Et quicquid in terris regresso  
     Gignitur omnimovente Phoebo,  
 45 Quid Plato scribat pectore caelico  
     Et Stoicorum secta severior,  
     Rogas et, hortis cur beatam  
     Pythagorae dedit herba cenam.  
 Felix futurus, si modo liqueris  
 50 Intemperatam mente libidinem,  
     Quae nostra consumens peresis  
     Corpora comminuit medullis.  
 Te nostra poscit Musa dicacula,  
     Phoebus columnas dum premit Herculis,  
     Te conferas nostras in aedes  
     Socraticas habiturus escas.  
 Cancri sub axem iam vaga lumina  
     Phoebus reduxit cum Cane fervido,  
     Hinc frigidum nos hauriamus  
 60     Tempore liberiore Bacchum.

*13. Ad Ianum Tolophum symbuletice.*

Quando Romuleis collibus invidens  
     Dilectam repetes, Tolophe, patriam?  
     Qua se tollit in altum  
     Celsus Pinifer aethera,  
 5 Qui Nabum vitreis fontibus egerit  
     Et Vilsum socio flumine concipit,  
     Qui magnum sociati  
     Patrem Danubium petunt,  
 Urbs antiqua tenet qua sua moenia,  
 10 Cui Regus tribuit iam nova nomina,  
     Quae te laeta patrono  
     Gaudet, Tolophe, candido.  
 Hic tecum, memini, carmina lusimus,  
     Quae blando Thyoneus et Venus impetu  
 15     Suggessere poetae  
     Graio scribere spiritu,

Quae tu mox niveo pangere barbito  
 Sueras, ut citharae verba dabas tuae,  
     Interpresque vetustas  
 20 Solvis, candide, fabulas.  
 Quid te Roma vorax tempore detinet  
 Tanto? quid studiis te vagus abstrahis,  
     Ut quae expectat utrumque.  
     Prosit gloria posteris?

*14. Ad Andream Stiborium in iucunditatem vitae consiliaque dei inquirenda non esse symbuletice.*

Musa Germanum stimulans poetam  
 Imperat Phoebi cithara, Stibori,  
 Sapphicos doctae celebres puellae  
     Pangere versus,  
 5 Quae vagos amnes potuit morari  
 Et lupos iunxit placidos bidenti  
 Movit et celsas citharam sequentes  
     Montibus ornos,  
 Dum canit plectro modulans eburno  
 10 Omnium rerum stabilem parentem,  
 Quo stat aeterni sociale vinclum  
     Principe mundi,  
 Ignium caeli facies coruscae,  
 Orbium moles et amarus humor  
 15 Aequoris, parvo et stabilita puncto  
     Pendula tellus,  
 Quam velut matrem lacrimando circum  
 Impetunt magnis animata curis,  
 Haec foveat cunctos subitoque furvum  
 20 Mergit ad Orcum.  
 Tu modo felix fueris sub orbe  
 Aestuans nullo pavidus timore  
 Et nihil sperans, medius sed inter  
     Tristia ridens;  
 25 Nec tuum vincat vagabunda pectus  
 Sors bonos semper fugiens et artis  
 Implicans rebus, sua dans inertis  
     Munera vulgo.  
 Sorte contentus fueris sub omni  
 30 Mente pensando superum favorem,  
 Qui suo nostram vario gubernant  
     Numine vitam.

Quae sit occulti metuenda fati  
 Vis regens certa ratione mundum  
 35 Quisve sit sortis temulentus ordo,  
     Solvat Apollo;  
 Quove tam discors moveatur orbis,  
 Non ego tutam cruciabo mentem,  
 Dum supra vulgum mea sublevavit  
 40      Pectora Phoebus,  
 Sed leves Musas strepitumque fontis  
 Pegasi curabo et amata Phoebo  
 Plectra pulsabo removendo tales  
     Pectore curas.  
 45 Ferte Rhenanum, pueri, Lyaeum  
 Abditum concha, celeres, quadrima,  
 Qui solet miti tetricam liquore  
     Solvere frontem.  
 Hanc mihi dulci placidam susurro  
 50 Leniat noctem mea flamma fulgens,  
 Me sinu blando refovens beatum  
     Det mihi somnum.  
 Obruat fessos socio labore  
 Roscidus Phoebus videatque amantes  
 55 Oris alternum placido sopore  
     Carpere flatum,  
 Dumque stat primis radiis coruscus  
 Mutuum cernens animis amorem,  
 Tam cito nostris doleat reductam  
 60      Lampada terris.  
 Haec tibi nostri monumenta amoris  
 Lusimus cruda regione Boum,  
 Barbari cives ubi nulla curant  
     Carmina Phoebi.

*15. Ad Ianum Coclitem de situ Pataviae.*

Urbs Patavina, Cocles, modo te tenet insita colli,  
 Qui tria flumina conflua iungit.  
 Nam celer austrinis descendit ab Alpibus Aenüs  
     Ilsus et a borea niger exit,  
 5 Danubii medius quos accipit alveus amnes  
     Crescit et impetuosior undis.  
 Imminet his fluviis, ceu Chersonesus in aequor,  
     Urbs sua moenia colle reducens,  
 Te qua nunc pulchris oblectas, lane, puellis  
 10      Sacrae censibus aedis abundans.

His, rogo, ne sacros pergas exponere nummos,  
Quippe pios debentur in usus.

*16. In vetulum poetastrum et antiquum rapofagum.*

Cum vultus tibi grandinosus omnis  
Et Morpheus genis relucet atris,  
Cum nares tibi polypus vorarit  
Et solem tua vix pupilla cernat,  
⁵ Cum corpus vetula tremat podagra  
Atque intercute turgeat liquore,  
Cum lecto iaceas miser perenni  
Et pes iam proprium negarit usum,  
Vindex praeteritae quod omne culpae est,  
¹⁰ Dum quondam madidae comes popinae,  
Scortorum fueras vagus magister,  
Faex, infamia dedecusque vatum,  
Quicumque ingenuas colunt Camenas,  
Solam, miror, adhuc habes salacem  
¹⁵ Lingam, pestiferam, rudem, procacem,  
Stultam, vaniloquam, vagam, dicacem,  
Vesanam, truculentam et impudentem,  
Quae tantum meritos viros lacessit  
Allatrans veluti canis catena  
²⁰ Cunctis praetereuntibus molestus,  
Sed iam barbara comprimantur ora,  
Vel Celten cithara audies relicta  
Arcum tendere cum suis sagittis  
Et Phoebi iaculis ferire linguam  
²⁵ Mordacem, stolidam, licentiosam.

*17. Ad Cumanum Athesinum iurisperitum.  
ut secum diem natalem celebret.*

Phoebe, Cumano modulans sub antro  
Inter aeternas medius Camenas,  
Vatibus princeps sociare doctis  
Carmina nervis,  
⁵ Solve Germani, deus, ora vatis,  
Ut canam nostris fidibus faventem  
Quique Phoebeae celebranda gestat  
Nomina Cumae  
Natus, excelsas ubi scindit Alpes  
¹⁰ Aenus et saxis rapidus sonoris  
Impiger celum ferit insolenti  
Murmure caelum.  
Hinc amat doctas sapiens sorores,  
Quae colunt ripas fluvii strepentes,

- 15 Consitos colles et aprica cultae  
Gramina terrae;  
Dulce sophiae studium secutus  
Et bonas artes Latio petitas,  
Canonum nexus nitidoque scriptas  
20 Consule leges.  
Aequus in causis fueris patronus,  
Si nihil speres metuesque rectus,  
Nec favor caecus poterit severum  
Flectere pectus,  
25 Non amor caraet tremulae parentis  
Et minans mortem iaculo Gelonus  
Flexerit mentem stabili sequentem  
Pectore rectum  
Nec pecus dirum Siculi tyranni  
30 Nec ferus carcer, metuenda inquis  
Mors, neque ex alto ruat omne quamquam  
Cardine caelum.  
Si brevis vitae memor esse velles,  
Exues curas animum prementes,  
35 Quos tibi praesens dabit aut futurum  
Tempus honores.  
Rebus humanis sua fata scripsit,  
Cuncta quo spirant animata terrae,  
Lucidum caeli decus et coruscae  
40 Sidera noctis.  
Abstulit cunctos rapietque in aevum  
Invidum tempus, cadet omne clarum,  
Quod videt Phoebum, genitumque quicquid  
Tendit ad Orcum.  
45 Concidit Graiae decus omne linguae  
Et ruent olim Latiae Camenae,  
Dum novos vultus capiet renascens  
Mobilis orbis.  
Et tuum parvo coleretur aevo  
50 Nomen, aeternis nisi consecratus  
Iam Iores Musis, adeo obruuntur  
Omnia fatis.  
Ergo viventes capiamus artae  
Gaudium vitae pateras sacrantes  
55 Liberi patris, sequitur cadentes  
Nulla voluptas.  
Cras, ubi clarus roseum reduxit  
Cynthus vultum, celebrabo prisco

More natalem Genioque nostro  
 60           Sacrificabo.

Tu veni nostris studiis amicus  
 Lesbiae pulsans citharam puellae;  
 Huic ego lauri nitidus corona  
 Carmina iungam.

65 Elsula effusis aderit capillis,  
 Quae meum fecit liquidum calore  
 Pectus et blandis tetigit sagittis  
 Mollia corda.

Haec sedens nostris speciosa mensis  
 70 Non tibi inflammet iecur ulcerosum,  
 Sed suo tantum moveat superbo  
 Gaudia vultu.

Nam Venus nullis sociis amica est  
 Nec parem sortem potuere regna  
 75 Ferre, si Graiae memorant Camenae  
 Carmine verum.

Pone vesanos animi furores  
 Et tibi servum patiare nummum,  
 Quoque mens intra statuit, loquentur  
 80           Consona labra.

### *18. De Vindelico garrulo notho.*

Rhetor et orator, magno et cum stemmate vates,  
 Vindelice, esse cupis

Et septenarum tibi fingis clara sororum  
 Nomina cum titulis

5 Et vagus in toto discurris garrulus orbe  
 Lubrica verba serens.

Nuper Sarmaticis, memini, te vidimus oris  
 Et bene cultus eras,

Gallia sed nudum recipit, sic Pannonis ora  
 10           Hercyniumque nemus,

Sed, postquam nostras intrasti garrulus oras,  
 Nudus eras pedibus.

Te quondam magna iactabas stirpe creatum  
 Et genus esse Iovis.

15 Credam, legitimis genitrix si bracchia cunis  
 Cruraque composuit.

19. *Ad Lambergum Frisingensem.*

Orte de Carnis generose terris,  
Illyris qua se Venetusque noscit  
Et suas pandit sinuosa pulchras  
Styria valles,

<sup>5</sup> Nobilis claris studiis dicaris  
Expetens doctas nitidus Camenas,  
Iuris ediscens utriusque nexus  
Ore decorus.

Hinc tibi laudes celebres parasti  
<sup>10</sup> Caesaris magnam veniens sub aulam,  
Saepe Germanis ducibus disertus  
Proximus astans.

Inde venturae metuens senectae  
Eligis vitam sapiens quietam,  
<sup>15</sup> Lubricas regum et generosus aulas  
Deseruisti,

Quas regit vulgi strepitus procacis,  
Ambitus caecus, favor et potentis  
Mobilis semper rabidaeque mentis  
<sup>20</sup> Invida pestis.

Impiger ripis Isarus canoris  
Influens magnum violentus Istrum  
Arduo cernit tua tecta pulchra et  
Condita colle,

<sup>25</sup> Qua sedens visum spatiis remotis  
Pascis, excelsas ubi linquit Alpes  
Salsa cum pulchra sua clarus urbe  
Nomina iungens.

Et modo doctis loqueris libellis,  
<sup>30</sup> Qui tuas ornant vario nitore  
Inclitas aedes; premis inde cultis  
Gramina in hortis.

Si potes, blandi stimulos amoris  
Vince, qui turpem tribuunt senectam  
<sup>35</sup> Et tuos claros maculant honores  
Crimine foedo.

Regis exemplum comitantur omnes  
Et putant iustos titulos minores,  
Celsa maiestas sibi quod putabit  
<sup>40</sup> Turpe licere.

Nemo tam sanctus potuit sub orbe  
Vivere, ut nullis fuerit notatus

Sordibus, condit tamen inquinata  
 Pectora prudens,  
 45 Ne sit in turba vitium sequentum  
 Publicum monstrum vel in ore vulgi  
 Fabula infamis, sua dum profani  
 Crimina purgant.  
 Vixeris semper animo beatus,  
 50 Si tuam mentem sapiens gubernas,  
 Liberum nullo domino relinques  
 Vincere pectus.  
 Haec tuus Celtis tibi personabat,  
 Dum choros inter medius sororum  
 55 Cantat et Phoebi fidibus per Istrum  
 Carmina spargit.

*20. De garrulo Frisio.*

Nuper forte meas dicax in aedes  
 Divertit Frisiis creatus oris,  
 Cui rostrum genitrix ciconianum  
 Parva garrulius rota molaris  
 5 Ad cunabula finxerat inanis.  
 Ut longam mihi dixerat salutem  
 Et iussus recubare deinde mecum,  
 Tot parvam sibi fluxerant per horam  
 Verba a mobilibus coorta labris,  
 10 Quot fluctus Frisos premunt bubulos  
 Cauro vel Borea movente caelum  
 Aut quot gramina floridis sub arvis  
 Surgunt, dum rediit sol austrianus  
 Et terrae Zephyrus sinum resolvit;  
 15 Hic nostras voluit dicax Camenas  
 Audire et flagitans nimis procaci  
 Ore, ut scrinia detegam vetusta  
 Et carmen cithara canam sonora.  
 O dignus mediis sedere picis  
 20 Vel ranis habitare cum canoris,  
 Dum sol Sidonia calet iuvanca,  
 Aut pratis resonantibus cicadis,  
 Dum Phobus medio calens Olympo  
 Rorem deciduis abhausit herbis.  
 25 Cumano tamen est habenda nostro  
 Semper gratia, qui suo lepore  
 Convivam lapidavit insolentem.

21. *De solario per Noricum astrologum invento.*

Qui cupis Phoebum roseum vagantem  
 Nosse, quo signo gradibusve currat  
 Horaque semper quota sit diei  
 Climate nostro,

5 Quanta vel nobis data sit diurnae  
 Portio lucis, sive stet sub alto  
 Circulo Phoebus gelidumve perget  
 Visere Caprum,

Umbra gnomonis globulo pererrans  
 10 Indicat Phoebi varios labores,  
 Annuos Lunae et celeres meatus  
 Tempore noctis.

Quod vel Eois oriatur undis,  
 Perspicis, signum dominusve quis sit  
 15 Singulis horis, modo, si moraris,  
 Singula cernis.

Nemo Germano memoratus orbe  
 Tale perfecit nec in arte maior  
 Graecus aut Memphis, Siculus vel alto  
 20 Tigride natus,

Sed fuit nostris genitus sub oris,  
 Ister undantes ubi volvit undas  
 Et procul Rhenum fugiens Eoum  
 Fertur in eurum.

22. *Ad Georgium Cygnum theologum  
 se contra iurisperitos ob artes liberales non  
 discendas opponentem.*

Cygne, candentes celeber per alas  
 Anseres inter medius refulgens,  
 Sibilis magnis tua qui petebant  
 Nomina clara,

5 Bartholus, Baldus, Salicetus abbas,  
 Porcus et magno strepitu vocandus  
 Iuris accursus Butrio, Ramundus,  
 Linus et Aso;

Nec tuam mentem poterant movere,  
 10 Quum tenax iusti fueris Serena  
 Fronte defendens iuvenes ad artes  
 Pergere septem;  
 Iuris ambages fugis et refertas  
 Fraudibus nugas, laqueos et artes,  
 15 Nodulum in scirpo tua iusta nusquam  
 Pectora querunt.

Cum vides claris oculis nefanda,  
 Ausus es contra tua ferre tela  
 Et sequens recti nitidus tenorem  
 20 Spernis iniqua.  
 Non secus, magnum velut unda saxum  
 Concutit vasto feriens tumultu,  
 Illud aeterno sedet et relisas  
     Despicit undas,  
 25 Qualis aut magnus steterat Molossus  
     Mordicos inter medius catellos  
     Asperans rictus solidoque cunctis  
         Dente minatus,  
     Talis in tanta fueras caterva,  
 30 Cygnus iniustis totiens petitus  
     Spiculis, sancto quotiens senatu  
         Cato solutus.  
     Mente divina relegis libellos,  
     Qui docent sacro superos honore  
 35 Prosequi et magno dominum sedentem  
         Noscere caelo,  
     Qui polo nostros animos locabit,  
     Si suas sanctas imitando leges  
     Spernimus fortes peritura falsi  
 40 Gaudia mundi.  
     Praecipis sacro monitu quietum  
     Rebus adversis animum tenere  
     Nec bonis vastos, tumidis nec altos  
         Tollere vultus.  
 45 Versat incertum dea caeca ludum  
     Et rotam vultu dubio gubernat,  
     Quam suo fultus sapiens vigore  
         Spernit et odit.  
     Solus is fortis, teres et rotundus  
 50 Et globi servat solidam figuram,  
     Alta quam caeli radiis coruscis  
         Sidera servant.  
     Angulos vitat latebrasque caecas  
     Negligens spinas salebrasque densas  
 55 Et suam vitam cupit approbare  
         Numina caeli.  
     Celtis ad Meni generatus undas  
     Hoc tibi carmen rude dedicavit,  
     Dum fidem expertus fuerat virorum  
 60 Rapofagorum.

23. *Ad Sebaldum Clamosum in avaros.*

Clamose nostris carminibus favens  
 Et liberalis saepe remunerans,  
     Iam pauca per nostras rigentes  
         Suspicias, celebrande, Musas,  
 5 Forsan dolorem quae tibi mulcent  
     Tristique tollent mente teredines,  
         Dum nuper a falsis amicis  
             Perfidiam querebare factam.  
 Nummos avarus si tibi sustulit  
 10 Bonisque cunctis insidias dedit,  
     Velut cruentus latro densis  
         Nil meritos spoliat latebris,  
 Sinas, repostas ille pecunias  
 Pictasque in auro tollat imagines,  
 15 Tuam tamen virtute partam  
     Non poterit spoliare famam.  
 Urbs Noricorum te celeberrima  
     Clara et vetusta progenie creat,  
         Quae Caesarum regumque et aulas  
 20 Cum nitidis sequebatur armis.  
 Secutus annis hos iuvenilibus  
     Sub Friderico Caesare militas;  
         Nosris capillis ille sacram  
             Presserat Aoniam coronam.  
 25 Sed nunc quieto pectore praeditus  
     Vivis paternis redditibus bonus  
         Et cogitas virtute sanctam  
             Posteritatis habere curam.  
 Tibi litterarum praecipuum decus  
 30 In orbe cordi est linquere posteris,  
     Aeternius sub sole nostro  
         Quo poterit nihil esse facto.  
 Est Roma testis totaque Graecia,  
     Magnis ruinis quae modo diruta,  
 35 Per litteras quae sola vivit  
         Perpetuas habitura laudes.  
 Hoc tu secutus pectore nobili  
     Libros reformas et stimulas viros  
         Musarum alumnos, ut futuris  
 40 Ferre velint monumenta saeclis.  
 Tu templa curas et veteres suo  
     Situ pereras tergis imagines,

Cultor sacrorum pertinaxque  
Iustitiae venerator almae.

45 Prudens avarum despicias virum,  
Qui quaestuosis volvitur artibus,  
Nam fraudibus talis dolisque  
Pectora fert sua plena vafris.

Deos precatur murmure dentium,  
50 Cunctis sed intus numinibus vacat,  
Dum mente volvit, quo scelestam  
Ingenio locupletet arcam.

Non ille famam vel superos timet,  
Virtutis altae aut praemia pensitat,  
55 Sed devorat nummos Averno  
Insatiabilior profundo.

Dum parva tractat, iustus et integer  
Cupit videri, at nullus iniquior,  
Dum magna spectat, praeda numquam  
60 Ingluviem satians patentem.

Caris amicis numine praestitam  
Fidem resignat pactaque deserens,  
Verbis serenus, sed rapacis  
Pectus habens truculentus ursi.

65 Qui colligendis divitiis studet,  
Curis gravatur semper et angitur  
Et pectus affligit molestis  
Et tacitis macerat querelis.

Hic maestus inter fercula suspicit,  
70 Quot quisque compleat guttura frustulis,  
Cumque admoveat quis pocla labris,  
Luminibus numerat severis.

Hic clara cunctis nomina saeculis  
Herede caro linquere concipit  
75 Sperans sibi nummorum acervis  
Perpetuum stabilire famam;

Sed cogitatus illius obruunt  
Decreta divum, parta laboribus  
Cum dissipat scortator heres,  
80 Qui subitis bona dat ruinis.

Congesta tandem quid sibi profuit  
Pecuniarum congeries movens  
Curas edaces et querelas  
Spemque, metum simul et dolores ?

85 Beatus ille est, qui mediocribus  
Bonis abundat nec strepitum fori

Curat suam laudando sortem  
Nec miseros gravat aut molestat.  
Dormit quietis ille penatibus  
90 Nec longa noctis tempora dividit,  
Cui nullus adstat mente vindex  
Verberibus tacitis flagellans.  
Mentes deorum cum melius sciant,  
Quae cuique prosint vel nocitura sint,  
95 Sic digna iustis ac iniquis  
Temporibus tribuunt statutis.  
Sed parce, Clio, fata nocentium  
Severiori scribere carmine,  
Repone Bacchum, molliores  
100 Ludere qui solet ad Camenas.

*24. Ad Elsulam amabile.*

Musis Teutonicis Elsula nobilis,  
Cur nostros alia facta superbior  
Aspernaris amores  
Congressus solitos negans ?  
5 Nam clausus latebris emoritur tuis,  
Obiectat furias is mihi noxias  
Dignos mente dolores  
Iambi carmine concitans,  
Dum figit labiis basia floreis  
10 Delibans lovici pocula nectaris  
Et praelata pruinis  
Stringens pectora candidis.  
Liquisset gelidas ante ferus rotas  
Saevis Arctophylax frigoribus rigens  
15 Et porrectus ad axem  
Anguis non mare visitans,  
Quam qui nuper amor non violabilis  
Et vinclis solidus plus adamantinis  
Nullam ferre repulsam  
20 Aevo perpetuo ratus,  
Sed nunc mobilior frondibus aesculi  
Et par Euboici fluctibus aequoris  
Aut qui saepe regresso  
Fertur sidere Maiades.  
25 Quod mixtus lacrimis iam queritur furor  
Nostri vix cohibens pectoris impetum,  
Quin me fata perempto  
Mergant sub Stygios lacus.

Felici peragunt tempora spiritu,  
 In quis fervet amor pectore mutuo  
     Et par forma genusque  
     Atque aetas opibus fluens.  
 Forma gaudet amor, divitiis favet  
     Et luxu petulans atque licentia,  
 35      Aeternoque manebit  
     Succi plenus amantior.  
 Sit quamvis opibus me ille potentior  
     Et multis numeret stemmata fascibus  
         Pulcher lactea colla  
 40      Flavis operiens comis,  
     Impar ille meis muneribus tamen,  
     Devoto tribui quae tibi pectore,  
         Dum non blanda puellis  
         Cantat carmina Noricis.  
 45 At nos per lyricos te rapimus modos  
     Pulsantes niveo carmina barbito  
         Et lasciva protervis  
         Miscemus pariter iocis,  
     Dum das difficii gaudia iurgio  
 50 Inflammisque magis me fugiens ferox  
         Atque invita labellis  
         Figens basia floreis,  
     Quae laeta ad citharam posteritas canet  
     Nostris perpetuis nominibus favens,  
 55      Dum nos gloria ducet  
     Ambos summa superstites.

*25. Ad Hieronymum de Croaria iurisperitum.*

Est tibi frontis facies apertae  
     Et fides priscis celebrata saeclis,  
     Publicis virtus tua generosa  
         Cognita rebus.  
 5 Noricis nemo cecinisset agris  
     Lucidum Phoebum et nitidas sorores,  
     Nemo Germani modulata nosset  
         Carmina vatis.  
     Mens erat nuper trucibus relictis  
 10 Sarmatis Rhenum patrium videre,  
     Gallicas urbes et ab orbe secti  
         Regna Britanni,  
     Sed tuis votis vigil expetisti,  
     Ut leves Musas rigidum per Istrum

15 Iam canant nostri iuvenes canora  
Plectra moventes.

Hinc tibi assurgunt merito Camenae  
Et tuum nomen pueri senesque  
Praedicent Musis Latiis amicum  
20 Tempore longo.

Seu tibi uxoris subeat pudicae  
Vel tuae prolis generosa cura,  
Tu modo laetus dederis quietae  
Tempora sorti.

25 Cogites aequa tolerare mente,  
Quod tibi certis superi dedere  
Legibus fati rapidae regentes  
Tempora vitae.

Quod putas, solum tibi sit molestum  
30 Et tuam mentem facit inquietam,  
Sed solet claris animosa virtus  
Vincere rebus.

Quem premunt nullis sua fata curis  
Et cui semper micuit serenum,  
35 Gaudeat fausto radio benigni  
Sideris ortus.

Rarior corvo niveo sed ille est  
Et fuit nullo generatus aevo,  
Ipsa dum nullam radiosa servant  
40 Sidera pacem.

Effluit cursu fugiens citato  
Mobilis vitae vagabundus error  
Statque praesentis brevis usus horae  
Semper in arto.

45 Ergo, felices habiture soles,  
Explica frontem nitidus serenam  
Et calens Baccho studioque rerum  
Tristia solve.

Hinc decus casti sociale lecti  
50 Excitet mentem studio sopitam,  
Dum tibi blando dederit susurro  
Basia lecto.

*26. Ad Ingolstudenses, cur eos reliquerit.*

Autumno rapas dum colligis et nisi caules  
Plenaque lactiferis fora vaccis,  
Hinc mihi rapofagus iam recto diceris ore  
Noto nomine cosmographorum.

5 Cum male cocta tuum repleat cervisia ventrem  
     Humor aquis vicinus et undis,  
 Cum nullus Bacchus crescat tibi montibus altis  
     Nec colles prope moenia surgant,  
 Nullus ad umbrosas fluvius dum murmuret undas  
 10 Praeter Danubiana fluenta,  
     Idcirco placidi repeto nunc littora Rheni,  
     Bacchi quae pia munera sudant,  
 Ingenii vires qui fert et pectoris artes,  
     Laetitiam et potoribus auget.

*27. Ad Georgium Lapidanum Suevum.*

O decus nostrae patriae, priores  
 Referens vultus senioris aevi,  
 Quando virtutis generosa cura  
     Mentibus haesit

5 Et fides cunctis veneranda rebus  
     Floruit magno speciosa cultu,  
     Frontibus claris steterat serena  
     Nobilitasque.

Si tuos priscos numeras parentes,  
 10 Nemo Germanis melior sub oris  
     Dicet antiquis proavis sub armis  
     Sanguine claros.

Est tibi vultus placidus vetusti  
     Sanguinis testis, generosa profers  
 15 Ora, quae sanctam veneranda mentem  
     Pectore claudunt.

Regias aulas, generose, noscis,  
     Quae tibi multos tribuere honores,  
     Pacis et belli fueras diserto ab  
 20 Arbiter ore.

Noscis hinc nostrae loca cuncta terrae  
     Et maris tractus nemorumque saltus,  
     Sarmatas, Gallos, Dacios, Britannos  
     Pannoniosque.

25 Noscis et mores Itali superbi  
     Quidve Germanus meditetur armis,  
     Dum movet longa galeatus hasta  
     Horrida bella.

Nemo Germanis hodie est sub oris,  
 30 Qui foret tantus Latii leporis  
     Cultor et doctis placida benignus  
     Mente patronus.

Nobilitatis tibi vera frons est,  
 Qui tenax iusti es et amator aequi  
 35 Vatibus doctis tua liberalis  
 Munera donans.

Si potes, mentem teneas quietam  
 Singulis rebus; generosa virtus  
 Arduum callem petit et sub alta  
 40 Sidera fertur.

*28. De flamma excitata per corylum.*

Quod ligno lateat sepultus ignis  
 Nec tantum silicis citetur ictu,  
 Attribu coryli fidem videbis.

*29. Ad Gretulam amore languidam erotice.*

Quid maesto lacrimas, Gretula, spiritu,  
 Decessisse tuum Stiborium gemens?  
 Quo non doctiore alter  
 Fraudes nectere amantium.

5 Cur rorant lacrimis lumina fervidis?  
 Nec diffusa tibi stat coma verticis  
 Infirmisque reflexum  
 · Sustentas manibus caput.

Talem Penelopen carmina tristibus  
 10 Confectam memorant Graia doloribus,  
 Dum per lustra maritus  
 Erraret duo callidus.

Obliquo volitans Delia circulo  
 Nondum signa novem circuit aurea,  
 15 Dum deserta puella  
 Constanti fueras viro,  
 Quem nunc dulcis habet patria nobilem  
 Et laeti comites et soror et parens,  
 Qua se Vilsus in Istrum  
 20 Pulchro proripit alveo.

Quod tempus numeras longius annuo  
 Cursu flammigeri languida Cynthii  
 Aut qui tardior orbe  
 Falcatus titubat senex.

25 At tu, qui stabilem corde geris fidem,  
 Praepes mox reduces flecte; precor, pedes  
 Et depone sinistram,  
 Qua nos insimulas, fidem.

Intactam repetes corpore bucculam  
 30 Et fidum rudibus pectus amoribus

Nec te praeda relinquet  
 Nostris invida cassibus,  
 Cum me blanda movens Ursula nutibus  
 Clavis corda suis strinxit aeneis;  
 35 Iam non altra puella  
 Torrebit calidum iecur.

*30. De tumba divae Valpurgis in Aichstodio  
 et sepulcrali saxo perpetuo liquore manante.*

Aureatensis decus omne terrae,  
 Virgo, qua pulchra rigat arva valle  
 Almonus cuncta exsuperans sapor  
 Flumina pisce,  
 5 Da tuas, virgo, celebrare laudes  
 Et tuam castiam memorare tumbam,  
 Cui parem totum poterit videre  
 Nemo per orbem.  
 Nam tuo sancto scaturit sepulcro  
 10 Unda de duro generata saxo  
 Ex tuo sancto fluido liquore  
 Pectore manans.  
 Quale sub verno liquefacta sole  
 Montium sudant iuga, cum soluta  
 15 Nix dat humorem lacrimasque cogit  
 Fundere rupes,  
 Taliter sanctum laticis fluorem  
 Pectoris vena, sacra virgo, fundis,  
 Quae salutares tribuit medelas  
 20 Omnibus aegris.  
 Haec nisi casto remanet cubili  
 Semper et linguis inimica foedis,  
 Ore dum turpi scelerata iactant  
 Stupra profani.  
 25 Rege tu quondam generata magno  
 Angliae multis opibus beata,  
 Quas fugis, falsam lubricamque patris  
 Deseris aulam.  
 Rhenus antiquam rigat altus urbem,  
 30 Quae micat multis opibus vetustis,  
 Cui Menus Rheni sociatus undis  
 Nomina praestat.  
 Hanc petis sacro monitu deorum  
 Praesulem sanctis precibus fatigans,

35 Regulam purae seriemque vitae  
Scribere poscens.  
Ut tui voti fueras potita,  
Convocas castas generosa turbas  
Virginum sacras subitura cellas  
40 Tempora velans.  
Has iubes casta resonare voce  
Caelitum laudes precibusque sanctis  
Criminum sordes et iniqua pellens  
Gaudia mundi.  
45 Iamque in aeternos superos relata,  
Poscimus, nostram tueare terram,  
Virgo Germanis celebranda semper  
Diva sub oris.

## LIBER III.

*1. Ad Ioannem Dalburgium Vormaciensem episcopum.*

Dudum calenti pectoris impetu  
Tuis volebam carmina laudibus  
Referre et aeternos honores  
Pindarico celebrare plectro  
5 Sequens Achivos et Latios viros,  
Qui docta cunctis carmina saeculis  
Liquere, dum dignos Camenis  
Perpetuis cecinere libris.  
Sed amplitudo, o pontificum decus,  
10 Laudum tuarum carmina dispulit,  
Dum nostra fontis Pegasei  
Ora parum madeant liquore.  
Inculta sed cum carmina conspicis,  
Quae saltuosis Hercyniae iugis  
15 Cantavit Almanus poeta,  
Fronte legas, petimus, serena.  
Tui parentes stemmate nobili  
Rhenana semper principis atria  
Trivere cum multo favore  
20 Nobilitatis et universas  
Culti per aulas atque per inclitas,  
Quas Rhenus, urbes, flumine nobili  
Inundat et qua Naus altis  
Gallica diripit arva ripis.

25 His educatus rite parentibus  
 Mox litterarum te calor abstulit,  
 Sub Italas dum pergis oras  
 Ingenuas habiturus artes.  
 Sed quantus illic ingenii vigor  
 30 Tui reluxit quantaque praemia  
 Libros legendo ac audiendo  
 Abstuleras teneris sub annis,  
 Cum nulla vatum docta poemata  
 Et Tullianis condita fontibus  
 35 Te praeteribant et probatis  
 Quicquid in historiis senescit.  
 Uterque sermo, Graius et Italus,  
 In ore promptus, blandus et incitus,  
 Utramque calles quantitatem,  
 40 Seu numerum radiumve tractes.  
 Oris diserti o quanta potentia est!  
 Deliberes seu, candide, suadeas  
 Vel iudices vel quemque laudes,  
 Multiplici ratione polles.  
 45 Iuvat per omnem currere semitam  
 Aetatis actae et scribere gloriam  
 Tibi civico de iure partam  
 Quaeque sacris data palma libris.  
 Taceo venusti munera corporis  
 50 Et liberalis lumina pectoris  
 Tuamque proceram staturam  
 Cum valetudine prosperatam.  
 Amore quanto principis haereas,  
 Qua praesulatum, digne, receperas,  
 Iam nostra non pergit Camena  
 Exiguo memorare versu.  
 Te Roma magnum fulgida nuntium  
 Eius recepit totaque Gallia,  
 Ubi pacis auctor Gallicanas  
 60 Foedera condideras per urbes.  
 Plebs et senatus Vangionum tuam  
 Mentem inquietant et stomachum movent,  
 Dum frivolis causis protervi  
 Imperium excutiunt vetustum.  
 65 Sed mox cupitae semina gloriae  
 Tibi reponent, dum tumidi iugum  
 Ferent rebelles et superbo  
 Te celebri decorent triumpho.

Quos fama celsum tollit ad aethera,  
 70 Ferox Achilles atque Priamides  
     Per bella iam vivunt peracta  
     Et vagus extat in ore Ulixes;  
 Sic, monstra quondam, claviger Hercules,  
     Dum cuncta stravit, scandit ad aethera  
 75 Et Perseus stellatus arce  
     Gorgoneam domuit Medusam;  
 Romana tellus quosque creaverat,  
     Per multa vivunt tempora principes,  
     Quos acribus fortuna bellis  
 80 Implicuit variis sub oris.  
 Diis est amicus, quem premit aspera  
     Fortuna iactans per freta turbida,  
     Nam semper est obiecta saevis  
     Turbinibus generosa virtus.  
 85 Non, qui per omnes illecebras ruit  
     Et molle stratum qui Veneris premit,  
     Hunc clara virtus et remotas  
     Gloria sustulerat sub auras,  
     Sed qui bifronti lumine lubricam  
 90 Deam respexit cum stabili manens  
     Mente et deorum iussa sacris  
     Exsequitur veneranda libris,  
     Causam perorat qui bene pauperis  
     Nefanda suadens linquere reprobis  
 95 Aequa secando cuncta lance  
     Nec stateram regravat dolosam,  
     Quem nulla flexit mente pecunia,  
     Libido fervens iraque noxia  
 100 Et quem favor non vertit et qui  
     Invidiae stimulus repressit,  
     Hic, hic deorum est dignus amoribus  
     Iovisque sceptro, cumque reliquerit  
     Auras caducas, candidorum  
     Inseritur numero deorum.  
 105 His ipse fultus laudibus omnibus,  
     Praesul, relinques nomina posteris,  
     His rebus et terra relicta  
     Aetherium repetes Olympum.  
     Haec pauca nostro lusimus otio.  
 110 Praesul, calenti carmina spiritu,  
     Cui quicquid est rerum mearum,  
     Iure tuis datur omne iussis.

Rerum mearum praesidium manes,  
 Qui nostra solus carmina promoves  
 115 Dabisque ventos, ut quietum  
     Accipiant mea vela portum.

*2. Invitat amicos ad diem natalem.*

Februis natus quid agam Calendis,  
 Quae mihi primam tribuere lucem,  
 Septimo lustro modo dum revolvunt  
     Fila sorores?

5 Ursulam totis sitio medullis,  
 Quae nisi coepiae properet levare  
 Impetum flammae, meus interibit  
     Spiritus igne.

Qualiter Cresso referente Tauro  
 10 Fervidum solem niveus recedit  
 Obnubis candor rapidoque fertur  
     Impete Rhenus,

Taliter nostrum speciosa pectus  
 Ursa Rhenanis decus omne ripis  
 15 Mollit et doctas renovat diserto  
     Carmine vires.

I, puer, dulces vocites amicos,  
 Cras ego Phoebo geniale pono  
 Epulum nigro numerans lapillo  
 20 Tempora noctis,  
 Quae mihi fatum tulerat sinistrum,  
 Dum pene prensus fueram cubili  
 Ursulae et nuda miserum coegit  
     Currere planta.

*3. De osculo Ursulae.*

Non tale sensit Iuppiter osculum,  
 Per Cressa quondam Taurus ut aequora  
     In tertium deferret orbem  
         Pignus Agenorei tyranni;

5 Non tale Martis vel Veneris fuit,  
 Quos Phoebus alto lumine prodidit  
     Et Mulciber claudus catenis  
         Armigerum solidis ligavit,

Hac nocte nobis qualia praestitit  
 10 Pugnans labellis Ursula floreis  
     In urbe, cui nomen dedere  
         Moganus et Cia parvus unda.

*4. Ad Battum Minucium in saeculi luxum elentice.*

Batte, Rhenanis mihi iunctus oris,  
 Alpium qua se iuga celsa scindunt,  
 Inde Germanos, alio prementes  
 Vertice Gallos

5 Quaque sub vastis lacubus receptus  
 Rhenus ingenti fluvio citatus  
 Impetum servat scopulisque praeceps  
 Amne rotatur.

Mercium duros agitas labores  
 10 Orbe divisos populos negatis  
 Oribus miscens variisque ditans  
 Mercibus orbem,

Unde corruptos memorant ruentis  
 Saeculi mores habuisse causam,  
 15 Splendidum luxum nitidoque pictos  
 Corpore cultus;

Unde vesano rabies amore  
 Fenoris nata est et avara magnos  
 Mens vorans census satiata nullo  
 20 Aeris acervo;

Unde cum duris cuneis egestas  
 Incutit curas animis edaces,  
 Quae negant fessis relevare blando  
 Corpora somno;

25 Unde mellitae simulata linquae  
 Fluxerat pestis, superum negator  
 Dum lovem testem vocat et verendi  
 Numina caeli;

Unde succrevit male sanus ardor  
 30 Perfidi ludi vigilata noctis  
 Astra transmittens, sua cum reducit  
 Lumina Phoebus;

Unde cornuto furiens Iaccho  
 Cooperat mentis furiosus error  
 35 Ire per praeceps pecuale plus quam  
 Ebria tentans;

Unde titillans animos Cupido  
 Otio suadet Veneris calores;  
 Unde virtutis perit et deorum  
 40 Debita cura,

Quam canunt priscos meliore natos  
 Sole nativis casulis agentes

Caespitem nulla patrium beati  
Merce colentes.

45 Non erat talis Veneris voluptas  
Nota, sed prolem genitura tantum,  
Et cibus festus fuerat levasse  
Corpora glande.

Quis tibi nostram dederat puellam  
50 Sorte felici deus aut Cupido  
An Venus praestans vel amata nobis  
Omnia Nummus?

Si sapis, caecum puerum relinquas,  
Quem ferunt nullo religatum amictu  
55 Calcis alatae manibusque saeva  
Tela gerentem.

Hunc gravem mentis dominum fugato,  
Qui solet duris stimulare curis  
Et suis numquam tribuit quieta  
60 Tempora servis.

5. *Ad Ioannem Vigiliū sodalitatis litterariae  
Rhenanae hospitem in situm Hedelbergae et quare  
decennio peregrinatus fuerit.*

Doctorum Vigili gratae sodalium  
Hospes, qua biiugis montibus effluit  
Piscosus Necarus pingue petens solum,  
Rheni et fertur in alveum.

5 Cherusco genitum sanguine nobilem  
Iam te nostra canet Musa tuis favens  
Virtutum cumulis teque perennibus  
Dignum sacrat honoribus.

Constantis fidei pectora novimus  
10 Et, quantum faveas iustitiae, liquet,  
Dum te magna regens sceptra Palatii  
Arto pectore diligit.

Te praesul nitidus Vangionum colit  
Assurgitque tibi curia principis  
15 Et te nostra colit docta sodalitas  
Canis cognita posteris.

Spernis divitias, candide, sordidas  
Thesaurosque tuos esse putas libros,  
Quos scriptos variis colligis artibus  
20 Illis sedulus assidens.

Stant montes gemino vertice sidera  
Pulsantes, levat hic silviferum caput

Gestans nubigeris delubra turribus  
Priscis condita saeculis.

- 25 Cheruscos alias sed petit arduo  
Cornu celsa levans principis atria  
Subiectumque videt cum fluvio suum  
Pulchrum moenibus oppidum,  
Quo tecum, memini, tempora trivimus  
30 Diversis studiis, nunc Latios libros,  
Graios et Solymos, nunc Ciceronias  
Artes contulimus bonas.  
Nunc vatum placidi carmina legimus,  
Nunc, quod pontificum scrinia sentiunt,  
35 Nunc, quod Caesareis consulibus scatet,  
Grato volvimus otio.  
Dum nox stelligeram protulit aream,  
Quot stellas gererent lucidae imagines,  
Intentis oculis connumeravimus  
40 Et quo quaeque foret loco,  
Quae numquam Oceano conditur ultimo  
Et quae praecipi mergitur impetu  
Et quae cardinibus se moveat vagis,  
Certo prendimus organo.  
45 Hinc Bacchi madidis cymbia poculis  
Fervens mensa tulit cum variis iocis,  
Hic nummos nocuam perdit ad aleam,  
Alter carminibus vacat,  
Hic flexu volucri saltibus incitus  
50 Exercet variis corpora motibus,  
Ut risum eliciat, dum rufis aemulus  
Lapsu praecipi cadit;  
Alter cornigeri pocla Thyonei  
Amplexus pateris ampla patentibus  
55 Haurit, dum titubat lingua madens mero  
Verbisque officium negat.  
Faunos, Capripedes et Satyros leves  
Saltantes Libycis sub regionibus  
Nos circum iuvenes ludere crederes,  
60 Qui tantos moveant iocos.  
Nec desunt Veneris gaudia fervidis  
Occultis latebris atque cubiculis  
Consurguntque feris proelia motibus,  
Dum pes cum pede nectitur.  
65 O quam grata mihi tempora fluxerant,  
Dum tecum studiis talibus egimus

Fervebantque simul pectora mutuis  
 Semper nostra favoribus!  
 At decreta poli non mihi faverant  
<sup>70</sup> Ad ripas Necari ducere lubricos  
 Soles, sed variis compulerant plagis  
 Durum ferre decennium,  
 Ut nostris fierent quattuor anguli  
 Noti carminibus, Vistula et impiger  
<sup>75</sup> Rhenus, Danubius quique ferocior,  
 Gothorum Codanus sinus.  
 Sed sors nunc stabili sede beaverat  
 Ripis Danubii condere me iubens  
 Supremos cineres; hic tumulum velis  
<sup>80</sup> Vatis spargere floribus.

*6. Ad Musam suam.*

Iam clara vatem Musa superstitem  
 Humo levabit sideribus parem  
 Cunctasque per terras volabo  
 Per populos patriasque gentes.  
<sup>5</sup> Visam gelato cardine Sarmatas,  
 Cimbrum bibacem et Sauromatam trucem  
 Silvestribus vulgumque campis  
 Cum Sueone et rigida arva Daci,  
 Cui Chersonesus proxima Cimbrica,  
<sup>10</sup> Quae bina spectat frigida in aequora,  
 Solem ad cadentem Galliarum,  
 Sed mare Codoneum sub ortum.  
 Me Saxo siccans pocula mutua  
 Cantabit, huic et proxima Scandia,  
<sup>15</sup> Veltae, Venedes et Bruteni,  
 Vandalus et Gothus Illyrisque,  
 Praetervolabo littora Baltica  
 Visamque stantes fluctibus Orcades  
 Ultraque Tylen, qua gelato  
<sup>20</sup> Insula in Oceano reperta est,  
 Nocturna quam non Cynthia praeterit  
 Nec Sol quadrigis respicit igneis,  
 Dum circulo decliviore  
 Barbigeri premit astra Capri.  
<sup>25</sup> Me Suevus acer, Francus et horridus,  
 Turogus errans Hercynio iugo,  
 Cheruscus et saevus Sicamber  
 Cum Frisiis relegentque Cauci.

Non me tacebit per medios fluens  
 30 Albis tumenti flumine Teutonas,  
     Cuius per amnem stant tyranni  
         Celsa palatia Misenensis.  
 Hinc Lancosargus, Cauptus et Herulus  
     Et Gepidarum terra patentior,  
 35 Busactores et Marte saevi  
         Vindelici relegenque Rhaeti,  
 Uterque Panno, Boemus et Oquenus  
     Et Noricorum terra sub Alpibus,  
         Bastarna Iazygesque nostri,  
 40 Marcomanes madidique Quadi.  
 Euxina visam percitus aequora  
     Et Bosporei littora gurgitis,  
         Qua magnus Ister beluosam  
             Septifidus Thetidem coronat.  
 45 Scandam per Alpes atque Heluetios,  
     Brennos, Genaunos conspiciam feros  
         Rhenique discurrat per urbes  
             Et populos utriusque ripae.  
 Hipana visam regna tepentia  
     Victique Mauri colla nigrantia  
         Atque ultimis terris Britannos  
             Quicquid et occiduis in undis.  
 Per Gallicanas atque per Italas  
     Vagabor urbes, si rigidus placet  
 55 Vates et Arctoae Camenae  
         Carmina concinuere doce.  
 Me nemo busto compositum fletat  
     Et nemo claris marmoribus gravet,  
         Quando sepulcri saxa nostri  
 60 Perpetuis posui columnis.  
 Veris beatos divitiis reor  
     Magnisque dignos semper honoribus,  
         Qui mortui vivis honestae  
             Condiderint monumenta vitae.

### *7. Ad Ursulam et Venerem.*

Dulces blanditiae tuae  
 Mellitaeque tui cordis uredines  
     Mentem tristitia levant.  
 Per ludos Veneris perque Cupidinis,  
     Quo, me, cumque voles, trahis,  
         Seu perpendicularam Phoebus ubi rotam

Volvit vertice fervido  
 Seu qua per glaciem constitit algidam  
     Gothorum rigidus sinus,  
 10 Qua nuper Dacicis feta aquilonibus  
     Inventa insula navitis.  
 Hanc, si me iubeas, ut videam tuus,  
     Veloci fugiam gradu  
     Nec me ventisonis aequora fluctibus  
 15 Terrebunt neque naufragae  
     Multis exitium navibus Orcades.  
     Si quando, Ursula, fervidam  
     Blando colloquio sustuleris facem  
     Noctis gaudia conferens,  
 20 Eous gelidi Vistula gurgitis  
     Quales delicias dedit?  
     Nuper Danubius Teutonicum et latus  
     Blandas illecebras tulit,  
     At nunc, qui canitur tertius angulus,  
 25 Rhenus me cupidum tenens  
     Mentem perpetuis vinxit amoribus.  
     O saevi genitrix dei,  
     Quae blandis animos ignibus implicas,  
     Iam te nostra rogit lyra,  
 30 Ut nos iungat Amor foedere perpeti.

*8. Execrat Germanum inventorem bombardae,  
cuius pila paene traiectus fuisset.*

Primus per auras saxa volantia  
 Ardente torquens concita pulvere  
     Quique igne sternaci sonoro  
     Aera commovefecit ictu,  
 5 Is regis olim facta tonitrua  
     Et vera struxit cum Iove fulmina,  
     Dum mille momento per unam  
     Corpora comminuit ruinam ;  
     Uno tumultu fortia moenia  
 10 Molitur urbes celsaque culmina  
     Cum turribus casura, tristes  
     Machina dum iaculatur orbes.  
     Nostro sub axe indignus erat mori  
     Germana nullis nomina saeculis  
 15 Laturus, indignus scelestam  
     Carminibus meruisse vitam.  
     Riphaea dignus frigora perpeti  
     Et saxa semper ferre natantia

Symplegadum vel distrahendus  
 20      Caucasiis scopulis sub Arcto  
 Aut Sispheum impellere montibus  
 Saxum relabens impetuosis  
 Aut Siculis urenda flammis  
 Corpora contumulare in aevum.  
 Traiectus essem quam prope plumbea  
 Pila, furentum nuper ut agmina  
 Suevorum inarmatus viderem  
 Vindelicis recubare campis,  
 Fatalis olim qui fuerat locus  
 30 Varo perempto cum legionibus  
 Hunisque torvis, quos cruento  
 Karolus edomuit triumpho.  
 Quam laeta prisco tempore saecula  
 Ignara belli, cum neque vulnera  
 35 Norant viri nec saevus ensis  
 Pendiderat lateri minaci.  
 Tunc nulla stabant moenia machinis  
 Oppleta nec tormenta furentibus  
 Funesta longis explicabant  
 40 Cornibus ignivomum foramen,  
 Felix sed agris turba novalibus  
 Errabat aptans vimina vitibus,  
 Muris nec ullis implicati  
 Pervigiles timuere noctes.  
 45 Sed, praeda postquam mentibus impiis  
 Incessit, arces mox sibi condidit  
 Et montium praerupta scandens  
 Insidias struit et rapinas.  
 Hinc nostra cernens saecula Iuppiter,  
 50 Quod tela tractent iam sua caelica,  
 Nostram deus vitam perosus  
 Proelia continuata versat  
 Et bella saevis Martia regibus  
 Inspirat, orbem qui rabidum movent,  
 Nullaque servant inde sanctam  
 Saecula deteriora pacem.

*9. Laudat Germanum inventorem artis impressoriae.*

Quid tantis strepitat Graecia laudibus  
 Invenisse suis ingenii canens,  
 Qua natura potens lege coerbeat  
 Caeli fulgida sidera?

5 Non est inferior, credite, Daedalo  
 Aut qui Cecropias protulerat notas,  
 Ex Moguntiacis civibus editus,  
 Nostri gloria nominis,  
 Qui sculpsit solidos aere characteres  
 10 Et versis docuit scribere litteris,  
 Quo nasci utilius non poterat magis  
 Cunctis, credite, saeculis.  
 Iam tandem Italici non poterunt viri  
 Germanos stolida carpere inertia,  
 15 Cum nostris videant crescere inertia  
 Romnis saecula litteris.  
 Quae tandem Aemilio gratia Maximo  
 Solvenda est, genitus qui patre Caesare,  
 Sub quorum imperio creverat inclito  
 20 Nostris ingenium viris?

*10. In vitam divi Sebaldi Nornbergensium patrem.*

Regiae stirpis suboles, Sebalde,  
 Norica multum veneratus urbe,  
 Da tuam nobis memorare sanctam  
 Carmine vitam!  
 5 Te sacris votis generant parentes,  
 Cum diu lecto sterili vacassent,  
 Teque suscepto statuere castam  
 Ducere vitam.

Natus his sanctis puer ergo votis  
 10 Galliae claram properas in urbem  
 Artibus sacris animumque cultis  
 Moribus ornans.

Hauseras sanctas ubi mente leges  
 Patriam doctor rediens in aulam,  
 15 Regiam quaerunt tibi mox venustum  
 Jungere sponsam.

Ut dies laetis fuerat peracta  
 Nuptiis, virgo pudibunda vultu  
 Ducitur celso tibi copulanda  
 20 Candida lecto.

Cumque iam clausum fuerat cubile  
 Et quies cunctis foret alta rebus,  
 Tu tuae sponsae loqueris pudicæ  
 Talia verba:

25 „Nata de magno mea sponsa rege,  
 Non tuum castum violabo corpus,

Si placet mecum pia vota castae  
Iungere vitae.“

Annuit virgo tenero pudore

<sup>30</sup> Et deo magnas dedit ore grates  
Integralm servans generosa casto  
Corpore vitam.

Ipse mox celsam genitoris aulam

Spiritus sancti monitu relinquens

<sup>35</sup> Horridas silvas eremumque vastis  
Saltibus intras

Et per exesae cava saxa rupis

Stratus orabas manibus supinis

Fervidum solem, boream nivesque

<sup>40</sup> Passus et imbræ

Et feras inter medius quiescens

Saepe montanis satiatus herbis

Hauseras puram liquidis fluentem  
Fontibus undam.

<sup>45</sup> His ubi corpus dapibus foveres,

Mentis in puram tenuatus auram

Saepe divinos nitido videbas

Pectore vultus.

Sic tribus lustris tacito peractis

<sup>50</sup> Inde Romanam properas ad urbem,

Qua dei verbum monuit per orbem

Spargere pastor.

Ipse mandatum recipis paternum

Et vagus terras varias pererrans,

<sup>55</sup> Donec immensum peregre venires  
Laetus ad Istrum.

Hic ubi cymbis tumidus careret,

Praebuit tutam, pater alme, navem

Pallium, quo tunc fueras pudico

<sup>60</sup> Corpore tectus.

Moxque per vastas nemoris latebras

Noricam laetus veniens in urbem,

Hanc docens sacro monitu profanos

Linquere cultus

<sup>65</sup> Et deum celso residere caelo

Praedicas poenas vitiis daturum

Quique virtuti tribuat beatæ

Praemia vitae;

Ille de casta genitrice natus

<sup>70</sup> Corporis mortem tulerat cruentam

Tertio Phoebo rediens sepultis  
     Victor ab oris.  
 Approbas multis tua verba signis,  
 Scripta quae libro reperi fideli,  
 75 Nec minus claris hodie coruscas,  
     Inclite, signis.  
 Cumque iam longo fueras labore  
 Fessus et sedes meritus beatas,  
 Te senem nostras deus imperabat  
 80      Linquere terras.  
 Spiritus sanctos ubi liquit artus,  
 Mox boves corpus tulerant agrestes,  
 Qua tuas sanctas modo personamus  
     Carmine laudes.  
 85 Ergo iam caelo merito locatus  
 Hanc velis urbem mediis arenis  
 Conditam sanctis precibus iuvare  
     Sedulus orans.  
 Terra fecundo madeat liquore  
 90 Et salutares habeat calores  
 Spiceam gestans Cereris coronam  
     Fenore multo,  
 Spumet et plenis rubicundus uvis  
 Bacchus et frontes tetricas relaxet  
 95 Et pecus laetis nemorosa carpat  
     Pascua pratis,  
 Prosperos servent radiosa cursus  
 Astra nec morbos subitos minentur  
 Paxque per nostras maneat perenni  
 100      Tempore terras,  
 Fata Germanis faveant triumphis,  
 Dum petet Thurcos gladiis cruentis  
 Principis nostri iuvenile robur  
     Maxmiliani.  
 105 Hinc ubi nostras animas solutis  
 Corporum vinclis deus evocabit,  
 Confer, ut tecum capiamus alti  
     Gaudia caeli.  
 Haec ubi nobis, pater, impetrabis  
 110 Ante supremi faciem tonantis,  
 Hic tuas semper cumulemus aras  
     Thure benigno.

*11. Ad se ipsum et senatum Noricum, dum octo sibi aureos pro historia scripta decrevisset suggestione scribae, quem vispillonis epigrammat enotaverat.*

Quid tantum steriles, poeta, Musas  
 Consectaris habens iuges labores,  
 Dum laudes patrias cupis referre,  
 Has ut posteritas frequenter ore ?  
 5 Quaeris divitias tuo labore ?  
 Sit tectum Phrygio caput galero,  
 Baldus Bartholus aut tibi sequendus  
 Et qui vel medicam fatentur artem ;  
 Hos multis modo censibus salutant  
 10 Reges cum ducibus suis et urbes.  
 Octavos mihi Noricus senatus  
 Magni ponderis aureos dicavit,  
 Quos missos merito sed ipse sprevi.  
 Nam longa sibi lucubratione  
 15 Descripsi Hercyniae vagos recessus,  
 Urbem cum populo suosque mores,  
 Arces, moenia, porticus et aedes  
 Privatas superisque dedicatas  
 Et quis publicus usus interesset,  
 20 Fontes et fora, plateas et hortos  
 Et quae stella suam videret urbem  
 Ad perpendiculum iacens nitorem,  
 Hinc amnem celeres rotas citantem  
 Quamque arte in varia metalla cudat,  
 25 Divus quin etiam suus Sebaldus  
 Nostris carminibus polo relatus.  
 Pro tanto mihi Noricus labore  
 Auri frusta locat senatus octo !  
 Centum grammatico annuo rotatu  
 30 Et centum medico superque centum,  
 Qui causas fovet inquietiores,  
 Et plus vel totidem, quibus sub aurem  
 Fas est prodere, quae gerantur orbe.  
 Germano haud puduit mihi poetae  
 35 Non tantum pretii dedisse velle,  
 Quo lychnus mihi fulserit lucernae  
 Nec quo sit mihi calceus solutus,  
 Longo circuitu viderem ut urbem,  
 Nec iuncus calamo notatus atro.  
 40 O digni lepidis cani poetis  
 Vestris pulvrcis pares arenis,  
 Quas ventus varijs agit per oras,  
 Quae tantum metitis negant colonis,  
 Quo siccas poterunt levare fauces,

45 Quae tantum accipiunt nihilque reddunt,  
 Natura in bibulis ut est arenis.  
 O digni Latias fovere Musas  
 Et quos posteritas futura dicet  
 Dignos laude viros Apollinisque  
 50 Cultores veluti refertur olim  
 Auritum caput induens aselli  
 Et chartis mihi posteris canendi,  
 Quis crudum piper et crocum ligatis  
 Vel quas commaculant cacationes  
 55 Et potent olidae quibus latrinae.  
 I nunc et cuteas canas volucres,  
 Celtis, quo noceat biformis ales!

*12. Ad Bacchum prosecutice in adulteros vini.*

O Bacche, Phoebi splendidior comes  
 Cornuta cingens tempora pampino,  
 Qui vatibus docto liquore  
 Ingenium vegetas amoenum,  
 5 Tu blanda iungis carmina barbito,  
 Plectrum pererrant dum celeres manus,  
 Et vox canit concinna versus  
 Blandiloquis sociata nervis,  
 Tu solus inter caelica numina,  
 10 lovem professum dum Semele videt,  
 Excussus immatura proles  
 Consueris femori paterno.  
 Bis inde natus nunc Dionysius  
 Exuta curis pectora mordicis  
 15 Sanas et aegros ad secundam  
 Restituis, pater alme, vitam.  
 Longo tuorum tempore munerum  
 Parcus fuisti, dum nimium gelu  
 Vites adussit vel tumentes  
 20 Grandinibus periere gemmae.  
 Satis perosus nunc es adulteros,  
 Qui te venenis conficiunt novis  
 Et noxiis rebus salubrem  
 Inficiunt cupidi liquorem.  
 25 Te Rhenus orat cum prece supplici  
 Et Menus alto Pinifero cadens  
 Et Necarus vicinus Istro  
 Cum Cocero Tuberoque curvo,  
 Sic Suevus, Albis Salaque Francicum  
 30 Menum subintrans quique Pinifero

De monte consurgit et Albi  
 Vinifluis sociatur undis,  
 Prosper reflectas cornua collibus,  
 Vites ut uvis largiter impleas  
 35 Spumentque plenis vasa prelis  
     Cum soliis liquidisque qualis.  
 Sic te perenni voce precabimur  
 Laudesque longas proferimus tuas,  
     Cum barbito sint iuncta nostris  
 40 Carmina te vocitura mensis.

*13. Ad Ursulam thermas secum petentem.*

Ursula, cras petemus  
 Fervidas thermas tepidis corporibus medentes,  
     Quae haud procul urbe fumarint,  
 Quae gerit nomen patrio a flumine clara Meno.  
     Hic tibi sacra corpus  
 Unda levet, sulphureo quae calefacta flatu  
     Ebult ex cavernis  
 Fonte, quem in visceribus nobilis unda fecit.  
     Sed tua postquam in undis  
 10 Membra fovisti, venustas mox repetemus herbas  
     Hic, ubi grata densis  
     Umbrā crescens arboribus corpora recreabit,  
     Guttura quis sonoro  
 Concinunt laetae volucres mellifluos tenores,  
 15      Hic dapibus receptis  
     Stanneis vasis hilares concipiamus haustus,  
     Oscula deinde blandis  
     Imprimam labris corporibus per sua vota mixtis.

*14. Ad Bootem iuvenem, qui anum  
 edentulam pecuniarum amore in uxorem duxerat.*

Demiror, tibi cur anus placebat,  
 Quae centum Priami peregit annos  
 Et quae Nestoreo senescit aevo,  
 Cuius tot numeras in ore dentes,  
 5 Cum dulci tibi plauserit cachinno,  
     Infantis vacuo quot ore cernis.  
 Illi dum capiti est soluta vitta,  
     Crines candidius nitent pruina  
     Obliquatque rudes tot ore rugas,  
 10 Quot vel frugiferis colonus agris  
     Liras quadriugis notat caballis.  
 Sed mammae teretes tibi placebant  
     Et pectus validum et rotunda membra  
     Siccis aridiora facta lignis,

15 Quae carbonibus ustulata cernis.  
 Vel venter tibi pendulus placebat  
 Aequandus tibi centipelli omaso,  
 Noctis taedia qui tibi resolvit  
 Amplexuque suo beat pudico.  
 20 Illi brachia dum tener locabis  
 Blandus basia et inde rapta solvens,  
 Te durum ratus es petisse truncum  
 Vel corpus gelido putens sepulchro.  
 Tunc nares cohibe tener patentes  
 25 Qualem ad putrificas soles cloacas !  
 Sed cunnus placuit pecuniosus  
 Nummatus simul atque praediatus  
 Et multis manus annulata gemmis,  
 Quae nummos tibi conferet perennes  
 30 Et sestertia mille collocabit,  
 Laetis dum moritur senex amicis  
 Uxor, quae tibi fata comparabit.  
 Hoc stultus iuvenis cales ab igne  
 Sub spe mortis habens miser dolores.  
 35 Annosum superans sed illa cervum  
 Cornicemque avium loquaciorem  
 Te tandem merito obruet sepulchro.

*15. Ad sodalitatem litterariam Rhenanam, ut secum epulum redeunte Phoebo ab Capricorno instruant.*

Intende nervis, Calliope, novis,  
 Oro, Latinae carmina tibiae  
 Et quicquid olim mota claro  
 Graia cohors modulata Phoebo est,  
 5 Qui nunc retorquet vertice fulgido  
 Rotam coruscam noctibus imperans,  
 Barbam rigentis Capricorni  
 Ignivoma feriens lucerna.  
 Idcirco Phoebi grata sodalitas,  
 10 Quam Rhenus altis littoribus fovet,  
 Sidus salutemus vetusti  
 Pocula concelebrando Bacchi !  
 Nec mensa largis cum dapibus vacet,  
 Sub Africanis qualis erat plagis,  
 15 Sic nos sacris Phoebi peractis  
 Ad citharam facilem canemus:  
 Illustre mundi, Phoebe pater, caput,  
 Cuius recessum singula sentiunt  
 Et cuius adventu recentes  
 20 Parturiunt elementa formas,

Adesto doctis, te rogo, vatibus  
 Lucem ferendo, ut carmina posteris  
 Annosa scribamus diserti  
 Continuis placitura saeclis.  
 25 Hinc quae requirit nostra necessitas,  
 Victum atque amictum corporis annuas  
 Et stet beato fama cursu,  
 Spiritus hos ubi liquit artus.  
 Non linquo taetram Tartareos lacus  
 30 Timere mentem nec canis inferus  
 Triforme monstrum me movebit,  
 Aeacus aut Rhadamanthus urna.  
 Leiuniorum difficiles dies  
 Servet, cucullus quem tetricus gravat  
 35 Longique murmuris susurro  
 Concutiens sua labra vulgo.  
 Mi sed beatum docta sodalitas  
 Reddat favorem scriptaque comprobet,  
 40 Fortuito ruitura fato  
 Praeter moventem corpora spiritum,  
 Qui clara linquit munera posteris,  
 Virtutibus qui praemium dant  
 Et vitiis sua probra pangunt.

*16. Ad Henricum Euticum Franckfordensem physicum.*

Eutice, Franckophora medicus notissimus urbe,  
 Per Francos quae condita quondam,  
 Illorum trepidis dum Gallia personat armis,  
 Ad Mosam imperium statuentes,  
 5 Qua Metis et Treveris nunc surgunt moenibus altis  
 Imperiumque terunt modo nostrum  
 Moribus et lingua nobiscum convenientes  
 Despiciuntque vagos modo Gallos.  
 Sed quid nostrorum refero gesta inclita patrum,  
 10 Altera cum me cura lasset?  
 Ut me sollicito releves, Henrice, dolore  
 Et reddas animum mihi priscum,  
 Qui nostram propter, quae infecta est peste, puellam  
 Curis nunc diris cruciatur.  
 15 Quis si me relevas, veras tibi Apollinis artes  
 Esse simul contendimus omnes.

*17. De convivio Neptuni et diluvio Rheni,  
cuius eluvione, cum se alveo reddiderat,  
pestis secuta est, quae sibi puellam ademerat.*

Nuper diluvio non solito cornua perdidit  
Et campos et agros frugiferos turgidus obruit  
Involvens tumidis, quicquid erat, fluctibus, obvium,  
Rhenus, nubiferis qui rapido murmure ab Alpibus  
5 Descendit, nivibus seu liquidis auctus ab imbribus  
Seu Neptunus atrox cornigerum solverat amnum  
Ulvosas scatebras gramineis fontibus exitum  
Praebens, velivolumque peterent, praecipiens, fretum  
Nymphis et vitream convenient cernere regiam.  
10 Illae mox properant ad patrium nare palatum  
Undarumque petunt praecipites atria principis  
Muscosisque suis labra locant garrula fontibus,  
Astro ut concipient flante vagis flumina crinibus,  
Quo possent citius sub thalamos pergere patios.  
15 Si quae delituit pumicibus, iam caput extulit  
Et se ornans speculo membra notat singula concavo  
Et Phoebum placidis luminibus candida suspicit.  
Haec scabris residens sub scopulis antra liquentia  
Exit, spumigeris se maculis sed prius abluit,  
20 Ut tandem aequoreo candidior complaceat deo.  
Est, quae sub scruea rupe canens bracchia concutit,  
An pinnae valeant fluctivomis nare sub aestibus  
Et crudum pelagus sub refluis ferre meatibus.  
Hinc amnes, patriam qui cupiunt cernere regiam,  
25 Contendunt hilares rurivagis ire liquoribus:  
Menus cum Necaro cumque suis Mosula cornibus  
Et Naus Bavarae culta secans pingua Galliae  
Et qui de riguis Hercyniae vallibus exeunt;  
Hos pluresque alias, ut fuerat plenus, in alveo  
30 Rhenus rorifluo succiduos poplite suscipit  
Et grates peragit de officiis iam sibi cognitis.  
Sicque auctus fluviis ingrediens altior omnibus  
Effectusque suis iam nimium turgidus amnibus  
Et nec iam trifidus ventisonum latus adit salum  
35 Pontes diripiens, campivagis fluctibus imperans,  
Armenta et pecudes cum stabulis protinus auferant  
Et tollant siluis putricavum robora quercuum,  
Lustrantes veteres Heryniae vallibus incolas  
Cum villis trepidos rusticolas et casulas vehant,  
40 Urbes quin etiam concuuiant gurgite confluo.  
Vidisses subito diluvio corpora naufraga  
Innare et querulis qui feriant sidera planctibus.  
Hic, nactus patulam, dum fluitat, naufragus arborem  
Iratii fluvii sic fugiens despicit impetum;  
45 Hic, feni tumulo dum residet, mergitur in salo;

Hic raptus misera cum casula navigat et suam  
 Deplorat subolem cum fluviis ire rapacibus.  
 Tunc capras et oves cum canibus vociferis suis  
 Luctari pavidos conspiceres diluvio vago.  
 50 Sic dum vorticibus saxifragis ad mare venerant  
 Amnes, qui sociis agminibus singula fuderant,  
 Mox Rhenum pater ille Oceanus canus et uvidus  
 Vultu squamigero suscipiens laetus in arduum  
 Deduxit solium cum reliquis ipse sedens deis,  
 55 Mox Tritone iubens littoreum clangere classicum,  
 Ut cunctos proceres caerulei gurgitis advocet,  
 Regis fluctivomi divitias qui modo proferant  
 Et gemmas varias, quas hominum cura periculis  
 Rimosisque petit cruda legens aequora lintribus.  
 60 Hinc lautas epulas hospitibus rite locans deis,  
 Quas inter medius iam residens ipse tridentifer  
 Hortatur, tetricam tristitiam frontibus exuant,  
 Deinde his alloquitur iam stupidos claustra maris deos:  
 „Quae terrae tacitis visceribus, flumina, vivitis,  
 65 Seu vos aer alat crassus habens semina gurgitis  
 Seu caecis latebris unda meis vos generat vadis,  
 Vestris subsidiis undifluis nostra potentia  
 Fulta est et trucis hoc imperium me manet aequoris.  
 Nunc haerite, precor, cum dapi bus pocula largius,  
 70 Quae fessos relevant et latices fontibus afferant,  
 Ut quisquis vitreis, dum rediit, rura liquoribus  
 Fecundet variis prata rigans culta coloribus  
 Et largus tribuat de riguis pocula fontibus.  
 Sic vestris scaeant sub specubus flumina scrupeis  
 75 Et lasciva canat sub calamis nympha tepentibus.“  
 Dixit grandisonis concutiens littora fluctibus.  
 Et iam prona dies terrivagis fulserat amnibus  
 Et iam longa fames numinibus pulsa maritimis;  
 Hos dormire suis rex voluit sub penetralibus  
 80 Et mox, luciflua dum rediit Phoebus in orbita,  
 Rhenus se proprio succiduus reddidit alveo  
 Atque amnes reliqui sub patrium quisque reddit specum.  
 Hinc caeli facies discolor et foeda cadavera,  
 Quae passim sub agris tabuerant mersa putrificis,  
 85 Et sordes specuum, scabrigeris quicquid et Alpibus  
 Avectum fuit et cum piceis terra vaporibus  
 Infectit nebulis sole calens aera noxiis,  
 Postquam fluctivagi consenuit gurgitis impetus  
 Atque algas steriles destituit littoribus suis.  
 90 Quas cum purpureo prospiceret Phoebus ab aethere,  
 Arcum cum pharetra et letifera clade tetenderat  
 Et pestem populis Rhenicolis luridus intulit  
 Intentans rigidis ore minax vulnera spiculis

Traiecitque meam pestifera tabe puellulam,  
 95 Cuius busta meis purpureis candida liliis  
 Vernant et placidi hoc iam retinent carmen Apollinis :  
 Hac corpus nitida condiderat Celtis in urnula  
 Ursellae, aetheriae quae Veneris vivit ἀκούεις θη.

*18. Ad Musam suam,  
 dum episcopum Vormaciensem hospitio recipere.*

Age, nostris properes, o dea, tectis !  
 Venit hospes mihi enim Vangionum prae-  
 Sul et omnem nitidus protrahet ad carmina noctem.  
 Tua tersis facies stet, rogo, libris !  
 5 Nitidam quis valeat cernere frontem,  
 Tibi qualis memoratur Pegaseia fore in unda ?  
 Tibi mixtum Latiis Argolicum plec-  
 Tra melos cum fidibus docta reponunt  
 Et utroque in studio es doctior, o candide praesul !  
 10 Mea crasso resonant carmina filo,  
 Dea, quae si liquida merseris unda,  
 Placitum tribuent forte sibi nectaris haustum.

*19. Ad Ioannem Melberium Bambergensem philosophum  
 de omnimoda magia.*

Iane, Bamberga genitus vetusta,  
 Quae fuit quondam ambitiosa sedes  
 Caesarum, Regnesus ubi subintrat  
 Gurgite Menum,  
 Villa praeclaris steterat colonis  
 Olim et hanc Romae dominus potentis  
 Caesar Henricus coluit, levavit,  
 Nobilitavit.

Hic tibi priscis atavis relictus  
 10 Cum foco fundus patrius nitescit,  
 Euplicas laetas ubi saepe tecum  
 Poclaque sumpsi.

Inter has quaeris, magici labores  
 An queant nostros animos movere et  
 15 Corporum formas variis figuris  
 Vertere et artus.

Quid sacer, possis, valeat character,  
 Ensibus vulnus ligat ut cruentis  
 Quosque mox verbis numerisque solvit  
 20 Doctior alter.

Hinc rogas, scriptae an valeant figurae  
 Mentibus nostris timide imperare

Quodque sub nostras veniat vocatus  
Spiritus auras.

25 Caelicus possit radius quid, affers,  
Mixtio rerum quid et inferarum  
Quodque quis nulli pateat, sed invi-  
Sibilis erret.

Doctus exemplis mihi docta formas  
30 Verba secretis tibi scripta libris,  
Maxima accedit tibi rusticorum  
Fama virorum,  
Qui ferunt lactis sibi adesse fures  
Quaeque conceptam Venerem retentent  
35 Et ferant morbos resecantque caris  
Membra maritis;

Certus occultas iacit hic sagittas  
Et ferit, quicquid cupiet, per auras  
Haec volat capro fugiens rapaci in  
40 Aera lapsu;

Haec vagos amnes glacie moratur  
Et minax fulmen Iovis imprecatur,  
Ille crystallo videt omne, quicquid  
Gesserit orbis.

45 Haec mihi multo memoras lepore,  
Iane, qui fulvis operam metallis  
Ponis, ut fictum tibi praestet aurum A-  
Tlantide natus.

His fidem cunctis ego trado verbis;  
50 Dum mihi visu dederis fideli  
Neve praestringas prius, oro, vano  
Lumina fuco.

*20. Ad Georgium Herebardum  
civem Augustensem philosophum.*

Augusta Lici condita margine  
Claris abundans inclita civibus,  
Quos inter omnes, o Georgi,  
Candidiore toga nitescis,

5 Velut serenus lumine Iuppiter  
Praecellit alto cardine sidera  
Et sicut Europa vincit  
Omnia Danubius fluenta,  
Qui bina sorbens hic vaga flumina  
10 Cynthum palustrem cum Veneta vago,

De Vandals qui dictus olim,  
 Vinda, locant ubi castra ripis,  
 Tu prisca volvis, docte, poemata  
 Narrans, quid altis carminibus latet,  
 15 Lucretianus totus atque  
 Manilius studiosus astris,  
 Iam Liviana nota volumina  
 Et Pliniani quid memorem libri,  
 Quae vel Plato divinus altis  
 20 Condiderit monumenta libris.  
 Rerum latentes pectore nobili  
 Causas revolvis, climata dividis  
 Caelique zonas, quas rotundam  
 Cernimus insinuare sphaeram.  
 25 Tui poetae sis memor, ultimum  
 Qui iam subbit cardinis angulum,  
 Ut monstra pingat, quae gelatis  
 Terra tenet glacialis undis.

*21. Ad Vilhelnum Mommerlochum  
 civem Coloniensem et philosophum.*  
 Vilhelme, Agrippae moenibus editus,  
 Per prisca nobis stemmata cognitus,  
 Romana quae quondam tuae urbis  
 Gloria contulerat colonis.  
 5 In urbe tecum hac condidici vagas  
 Inferre fraudes per οὐλογυρίκος  
 Nexus, quod et contentioso  
 Tradiderat dialexis ore.  
 Primaeva tecum hac prendideram sacros  
 10 Libros sophiae, tunc mihi cognitum,  
 Albertus et quid Thomas alti  
 In physicis docuere rebus.  
 Nemo hic Latinam grammaticam docet  
 Nec expolitis rhetoribus studet,  
 15 Mathesis ignota est, figuris  
 Quidque sacris numeris recludit.  
 Nemo hic per axem candida sidera  
 Inquirit aut quae cardinibus vagis  
 Moventur aut quid doctus alta  
 20 Contineat Ptolemaeus arte.  
 Ridentur illic docta poemata,  
 Maronianos et Ciceronios  
 Libros verentur, tanquam Apella  
 Carne timet stomacho suilla.

25 Hos inter unus tu nitidus sedes  
 Mathesin alto pectore comprobans  
 Et quod vetustas diligenti  
 Posteritatis amore scripsit.

*22. Ad Hartmannum de Eptingen seniorem  
 ecclesiae augustioris Basiliensis.*

Hartmanne, priscis nobilibus satus,  
 Eptinga qua se celsa sub aethera

Attollit et nascentis ortum  
 Prospicit ambitiosa Rheni,

5 Hac arte natum Gallia suscipit,  
 Ut disciplinas ingenuas tibi  
 Daretque et artes, quas Secannae  
 Parrhisii tribuunt ad undas.

Edoctus illic mox Basileia  
 10 Urbs te recepit, quae modo praemia  
 Tui laboris fert honesta  
 Perpetuos tibi dando census.

Hac urbe doctis semper eras viris  
 Hospes serenus, quicquid habes tuis  
 15 In aedibus, totum hoc reponens  
 Ingeniis, pater alme, honestis.

Nulli per orbem, quam mihi, notior,  
 Quam magnum amorem vatibus omnibus  
 Praestes paterna affectione  
 20 Muneribusque tuis honorans.

Quamvis gravatis insidet artibus  
 Podagra magnis membra doloribus  
 Vexans, tamen nunquam beatae  
 Desereris studio sophiae.

25 Tecum diebus pluribus egeram  
 Excelsa tecum sidera colligens  
 Et quicquid altrix terra nutrit  
 Per maria et iluvios et arva,

Quot stent per orbem lucida sidera,  
 30 Quae magnitudo prima vel altera

Et ordines quot deinde stellis,  
 Qui rutilant radio minori,

Quot terra, narras, continet aequora  
 Et insulis quis circuitus vagis,  
 35 Dimensiones circulorum  
 Cosmographus retines disertus.

Quapropter omnis docta sodalitas,  
 Rhenum rapacem quae modo possidet,  
 Te laudibus multis adornat  
 40 Perpetuos tibi dans honores.

23. *Ad Bernhardum Valerum Barbatum mathematicum, astronomum et philosophum.*

Bernharde, claras dum meditor tuas  
 Laudes futuris dicere saeculis,  
 Mox offerebat se poetae  
 Calliope modulata plectro,  
 Quod magna nostrae gloria patriae,  
 Sublimiori qui ingenio viges,  
 Ut alter Euclides figuris  
 Sis, numeris Ptolomaeus alter  
 Alterque Ianus, Regius emitens  
 10 Quem Mons creavit, cuius et omnia  
 Relicta post suprema fata  
 Tradita sunt tibi iure sancto,  
 Graece et Latine scripta volumina  
 Et organorum maxima copia,  
 15 Servare quae monstrant corusca  
 Sidera legibus irrepertis,  
 Quae magnitudo, quis locus et situs,  
 Distantiae quae, verus et ambitus  
 Et altitudo quisve certus  
 20 Omnibus assit in orbe motus.  
 Tu Graeca calles et nitidus legis,  
 Interpretaris rara volumina  
 Matheseos, quae nemo vidit  
 In Latiam resoluta linguam.  
 25 O quanta nostris gloria saeculis,  
 Germana quantum et terra superbior  
 Erit tuos cernens labores  
 Perpetui tibi causa honoris!  
 Te tota noscit nostra Alemania,  
 30 Miratur et te tollit ad aethera,  
 Vormaciensis praesul omni  
 Te studio colit atque honorat.  
 Feras quieto pectore coniugem  
 Vel morte ademptam consilio deum,  
 35 Ut mente nunc doctae sophiae  
 Liberiore vacare posses.

Nam rara libris cura, ubi femina  
 Quieta turbat tecta philosophi  
 Diesque noctes cor mariti  
 40 Per stimulos agitans acerbos.

*24. Ad Ioannem Reuchlin seu Capnion  
 trium linguarum interpretem et philosophum.*

Capnion nostrae decus omne terrae,  
 Vistula Eois cui limes oris,  
 Noricum et cuius latus explicavit  
 Ister et Alpes,

5 Balticus dictus sinus a latratu  
 Clauerat nostrum glacialis orbem,  
 Finit occasum rapidus gelato  
 Flumine Rhenus.

Saepe ibi tecum, memini, Latinae  
 10 Quicquid et Graiae recinunt Camenae,  
 Legifer quicquid tulit et sacro vo-  
 Lumine Moses,

Volvimus; magnus pater et parens es,  
 Qui tribus linguis super eruditus  
 15 Nec mihi in toto similis tibi unquam  
 Cognitus orbe est.

Te Tubingensis veneratur ultro  
 Et colit multo Basilea honore  
 Teque mirantur, tua qui diserta  
 20 Scripta revolvunt,

Culta quae priscum redolent leporem,  
 Sive Romanas vel Athenienses  
 Seu Palaestinas tua docta fundunt  
 Pectora voces.

25 Tu librum de mirifico relatu  
 Edidisti omnem memorans sophiam,  
 Quicquid invenit Latialis, Argus  
 Et quid Hebraeus.

Comicas fraudes copiose scribis  
 30 Et sonas doctus tragicum cothurnum,  
 Primus et nostras celeres iambos  
 Ducis in oras.

Inde per Rheni celebratus urbes  
 Te colit praesul refovens sodales  
 35 Et meis cunctum lyricis habebis  
 Nomen in aevum.

*25. Ad Udalricum Zasium Friburgensium cancellarium.*

Zasi Friburgi non minimum decus,  
 Qua laeta surgit Prisia collibus,  
 Qui vite amicti nec remotam  
 Hercyniam speculantur atram,  
 5 Bacenis illic dicta prioribus  
 Silvae sed Atræ nomen habens modo,  
 Qua Necari fontes et Istri  
 Perspicuis oriuntur undis.  
 Urbem beatam hanc sed modo possidet  
 10 Maxmillianus gloria principum  
 Germaniae et quotquot renato  
 Cernit in occiduo orbe Phoebus.  
 Hic iura nobis optima proferet  
 Leges reformans et veterum bonos  
 15 Mores reducat, cum severo et  
 Omnia pacificabit ore.  
 Pravis sacerdotum obviet artibus  
 Et sacra sanctis moribus induet  
 Romamque purgabit, vetustum  
 20 Saecula dum redient in aurum.  
 Annus vocabit nunc iubilus virum  
 Mutare suetus saecula moribus  
 Et gloriam Germana tellus  
 Qua sit adhuc aditura maior.  
 25 Te Phoebus alto pectore possidet,  
 Qui culta profers carmina barbito  
 Et vatibus cunctis amicus,  
 Quos rigat amne strepente Rhenus.

*26. De antiquitate Treveris ad cives.*

O quanta vestris moenibus inclitis  
 Oblitterata est gloria principum,  
 Viri Treverenses, Mosellae  
 Qui gelidum bibitis liquorem !  
 5 Romam videbar cernere corrutam  
 Rursus ruina, dum feror impiger  
 Per porticus, portas et aulas  
 Perque palatia prisca regum,  
 Passim per agros quae modo concidunt  
 10 Feruntque celsis culminibus suis  
 Tholisque summis atriorum  
 Arboreos frutices et herbas.

Idola divum vidimus inclita  
 Inscripta sacris sub titulis suis  
 15 In plateis, heu, nullo honore  
     Marmoreis recubare saxis.  
 Sepulchra Graecis vidi epitaphiis,  
 Inscripta busta et stare sub hortulis  
     Et manibus sacrata functis  
 20 Urna suprema reperta in agro est.  
 Avara quid non tempora devorant?  
 Tulere metas Herculis aeneas,  
     Nos nostraque involvunt ruinis  
     Perpetuo rapiente caelo.

*27. Ad Theodoricum Gresmundum Caucum  
vel Cattum hospitem suum Mogundinum.*

Cum virus rapuit letiferum Ursulam,  
 Quae me blanda suis torserat ignibus  
     Et me vafra coegit  
     Versus scribere lubricos,  
 5 Castis carminibus sum modo deditus  
     Caris nostra ferens dona sodalibus,  
         Quos inter mihi noto et  
         Docto pectore cognitus,  
 Caucorum genitus stirpe veterrima,  
 10 Gresmunde, Obnobii particula Alpium  
         Qua se montibus altis  
         Trans Rhenum fluvium erigit,  
 Qui multis gelidi fluminibus scatent  
 Et te, Rhene, patrem largiter imbuunt  
 15 Menus, Lipia, Rura  
     Et Lona invida vitibus.  
 Sed, Gresmunde, probans munera Bacchica  
     Fugisti rigidas has patriae plagas  
         Et te cultus in urbem  
 20 Confers, docte, Moguntiam.  
 Ad Rhenum fluvium nulla feracior  
     Urbs est tam placidis candida moribus  
         Et quae dona Lyaei  
         Largo munere proferat,  
 25 Quae tecum, memini, saepe resumpsimus,  
     Dum se stella poli verteret axibus  
         Ad somnumque vocaret  
         Gallus tempora dividens.

Tu cunctas animo pelle molestias  
 30 Et frontis nebulas! Fata dies ferunt,  
     Quae labentibus annis  
     Nos Ditis statuunt domo,  
     Nullo qua capies pocula cymbio,  
     Quae Rheni ad fluvium nata, sed horridus  
 35      Charon ducet ad undas  
     Lethaei fluvii invidas.  
     Tunc uxor capiet cunctaque liberi,  
     Quae multis tibi sunt parta laboribus,  
         Heredemque videbis  
 40      Ingrato fore pectore.

*28. Ad Ioannem Tritemium druidam,  
 abbatem in Spanhaim.*

Maiore flatu tendite tibias,  
 Dulces Camenae, quae canitis viros  
     Aeternitatis vestrae amantes  
     Quique per ingenuos labores  
 5      Vestros libellos pulvereo situ  
     Tectos adornant muneribus novis  
     Et sedibus donant amoenis,  
     Ut supera foveantur aura.  
     Talis Mosellae natus ad uvidas  
 10      Ripas canendus Tritemius meus,  
         Quem fontibus vestris rigatum  
         Muneribus variis beastis.  
     Tres ille linguas ingenuus sonat,  
     Graiam et Latinam, deinde veterrimam  
 15      Et quicquid arcanum vetustis  
         Carmina concinuere libris.  
     Primus vetustis moribus in sacris  
     Respondet hic, quo flumina personant  
         Rheni et Mosellae quoque noster  
 20      Oceanus furit inquietus.  
     Hic liberalis *κοινόθριον* suum  
     Restaurat ornans omne latus sacrum  
         Cum versibus Graecis, Latinis,  
         Cum Solymis pariter figuris.  
 25      Hic hospitalis grata sodalibus  
     Cum fronde laeta munera dividit,  
         Bacchum calentem cumque salsis  
         Divitiis maris et quietas

Suas per undas, quas poterit, dapes,  
 30 Habere, largis praeparat epulis,  
     Nam carnis vesci ipse prisco  
         More Pythagoreo retractat.  
 Caules virentes atque olerum comas  
 Leguminosis sanior epulis  
 35 Cum lacte et ovis sumit, unde  
     Ille famem relevet diurnam.  
 Nostris vetustis iste parentibus  
 Cibus placebat, dum piper et crocus  
     Nullus fuit per tecta nostra  
 40 Nec medicus peregrina coxit  
 Crudae podagrae et semina febribus,  
     Quae nunc molestant corpora morbida,  
         Dum scorta per noctes diesque  
             Atque gulam sequimus nocentem.  
 45 Io, io, me quo rapis, Euhie?  
     Non sunt canenda hic carmina turpium,  
         Sed laudibus summis colendus  
             Tritemius, decus omne nostrum.  
 Oris modesti est, vita modestior  
 50 Vinique parcus, sed reliquos movens,  
     Ut liberali fronte mentes  
         Exhilarare velint Lyaeo.  
 Cibos dein inter Graia volumina  
     Profert, Hebraea et scripta manu sua  
 55 Et quicquid a Gallis in oras  
         Teutonicas druidae intulere.  
 Narrat vetustas Orpheus Thracium  
     Amphionemque et per celebrem Linum  
         Urbes lyra struxisse Graias  
 60 Atque hominum sociasse coetus.  
 Illi per altos sic nemorum specus  
     Vastasque silvas Hercyniae vagi  
         Silvestre vulgus convocarunt  
             Et placidis docuere verbis  
 65 Terras arare et sub luteas casas  
     Culmis reiectas ire iugaliter  
         Antrisque despactis pudicae  
             Pergere coniugis ad cubile.  
 Hinc cura prolis cum pecore addita est  
 70 Et quae sub arvis effera vixerant,  
     Mansuetiorem disciplinam  
         Compositis didicere villis.

Annosa quercus tunc fuerant sacrae  
 Aedes deorum, sub quibus annum  
 75 Solvere votum, dedicatis  
     Numina dum coluere lucis.  
 Prudentiores tempora fecerant  
 Urbes et altis oppida moenibus  
     Struxere, quae sacris deorum  
 80 Cultibus et ceremoniarum  
     Coepere pulchris condere legibus.  
 Sic nostra crevit pars Alemanica,  
     Ut Italis et Gallicanis  
         Ingeniis modo par resurgat,  
 85 Dum cultiores tu modo litteras  
     Infersque priscis carmina saeculis  
         Aequanda, quae praesul disertus  
             Vangionum probat et reponit.  
     Aetate nostra vos duo lumina  
 90 Et litterarum maxima gloria  
     Fulsistis, hinc vobis perennem  
         Carmina cuncta dabunt honorem.

## LIBER IV.

*I. Ad senectutem suam.*

Iam mihi tristis Hiems Boreasque rigentibus procellis  
     Incana menta sparserant pruinis  
 Et modo testa mihi glabrescit perditis capillis,  
     Squalent ut arbores comis solutis,  
 5 Quas Capricornus atrox et Aquarius algido rigore  
     Denudat et suo spoliat decore.  
 Quae tamen ad verni reparantur sideris calores,  
     Dum cuncta lubricus reducit annus  
 Sollicitatque suis stimulis Venus incitata ab astris,  
 10 Ut prole terras impleat renata.  
 Ast, ubi pigra semel nostris venit artubus senectus  
     Et mors supremo nos locat feretro,  
 Imperiosa trahit Proserpina sub suum cubile,  
     Quod ferreis cum vectibus seravit,  
 15 Et reduci negat ire via nos alligans sopore,  
     Quo nullus excitabitur sepultus,  
 Sit quamvis Rheni dominus vel Vistulae colonus,  
     Istri vel Arctoi sinus tyrannus.

*2. Ad Matthaeum Langum sacrae imperialis  
camerae secretarium et collegii poetarum patronum.*

Matthaei, cunctis, candide, posteris  
Legendus, aures si dederis mihi,  
Utrumque nostrum quo perennis  
Gloria perpetuos manebit.

5 Iam tota nostris nota laboribus  
Et scripta libris patria Teutonum,  
Haec littoralis si sub Arcto  
Visa mihi fuerit poetae.

Mores et urbes cum populis suis,  
10 Silvae patentes frigus in Arcticum,  
Montes, paludes, stagna, cañpi,  
Flumina sunt memorata nobis  
Gentesque, Rhenus quas vagus irrigat  
Istrumque magnum quae modo possident,  
15 Et Vistula ac Arctous Albis  
Teutoniam medium pererrans.

Fortis iuventus haec mea protulit,  
Quae nunc tepescit membraque viribus  
Exhausta sunt aetasque nostra  
20 Iam medio stetit axe caeli.

Restat sub Arcton cernere Tethyos  
Rigentis undas, littora et insulas,  
Natura qua finem gelato  
Fecerat imperiosa caelo.

25 Opus patrono est huic mihi maximo,  
Hanc consequamur quo modo gloriam,  
Ut latitudo longitudo et  
Teutonicis habeatur oris.

Hinc regis aures sollicitus petes,  
30 Ut ille nostris aera laboribus  
Condonet aut commendet illis  
Regibus, quos habet alter orbis.

Bacchus columnas littore in Indico  
Solis sub ortum constituit, vagus  
35 Secutus Alcides ad aequor  
Occiduum posuitque Gades

Fortisque Ulixes sic medii tulit  
Maris furores saxaque naufraga  
Virtute vicerat perennem  
40 Carminibus meritus favorem;

Sic, congelatae nos ubi terminos  
 Terrae remensi, maxima posteris  
 Mox signa ponemus per orbem  
 Perpetuis memoranda libris.

45 Per multa nemo saecula noscitur,  
 Ni multa tentet ferre pericula  
 Et casibus duris volutus  
 Ad patrios redeat penates.

Opes, honores, ambitio impotens  
 50 Multos peractis funeribus manent,  
 Virtute quae vera parantur,  
 Perpetuas statuunt columnas,  
 Dum docta vates carmina Teutoni  
 Tibi reponent teque suum canent  
 Collegio erecto patronum  
 Pieridum et venerandum amicum.

### 3. *De enavigatione Codoni sinus.*

Musae Pierides, quo ferimur freto?  
 An mersos iterum poscimus inferos  
 Umbrarumque ducis regna silentia?  
 Fines orbis an alteros?

5 Quo, quo, Phoebe, ruis? quo vaga lumina  
 Ferventemque globum mergis? an omnia  
 Confusis iterum sidera legibus  
 Antiquum repetent chaos?

Densantur tenebris aequora tristibus  
 10 Et nox crassa ruit nigrior omnibus,  
 Quae somnos faciles et requiem brevem  
 Fessis luminibus negat.

Instructa celeres arbore currimus  
 Insurgitque sonans aura rudentibus  
 15 Et iam plena volant lintea spiritu,  
 Qui navem volucrem rapit.

Nunc fluctu tumido sidera tangimus,  
 Vasto mox humiles subsidimus specu.  
 An, Neptune, potes ferre tot impetus,  
 20 Mersa et Nereidum cohors?

Excelso fugiunt cardine sidera  
 Nec deprensa micant luminibus vagis;  
 A tergo geminas linquimus Arcades  
 Teque Anguem pede lubrico.

25 Post tergum Herculeos conspicimus toros  
 Perseumque sua coniuge proximum

Et collo Heniochum qui gerit Haedulos  
 Cepheiique senis caput.  
 It devexa ratis vix remeabilis,  
<sup>30</sup> Qua concreta carent aequora fluctibus  
 Et tellus rigidis maesta aquilonibus  
 Silvas explicat horridas.  
 Latratu sequitur marmoreus canis  
 Et rictu retinet robora mordico  
<sup>35</sup> Delphinusque volans explicat ubera in-  
 Flexus terga liquentia.  
 Quam praeceps hominum cura furentium,  
 Quae cogit rapidis aestibus invium  
 Persulcare fretum monstraque tristia  
<sup>40</sup> Pictis cernere navibus!  
 Non aurum in Scythico linquitur aequore  
 Intactum, cupidae sed volitant rates,  
 Qua stat perpetuis unda rigoribus  
 Et pigro premitur gelu.  
<sup>45</sup> Quo tandem poterit fine quiescere  
 Auri cura nocens? si rapidum mare  
 Tempestasque vorax saxaque naufraga  
 Immunes veherent trabes.  
 Ergo praecipiti nave sub inferos,  
<sup>50</sup> Audax turba, ruis? non fuerat satis,  
 Quod vos terra vorat non satiabilis?  
 Fatum quaeritis alterum?  
 Audaces nimium Tartara poscit  
 Umbrarumque domos irremeabiles,  
<sup>55</sup> Qua vos plena vehant carbasa squalidi  
 Rectoris Stygii lacus.  
 Sed, me si quis adhuc corpore frigido  
 Et membris tremulis imperitat vigor,  
 Hac me nocte vehet Barbara Cimbricum  
<sup>60</sup> Ducens per Codanum sinum.

#### *4. De Lapponibus silvestribus et situ Livoniae.*

Musa, num tantum tacuisse monstrum  
 Te pudet nullum, modulata, carmen?  
 Et mihi blando, memini, solebas  
 Ludere versu.  
<sup>5</sup> An tibi Phoebum viridemque Cynthum  
 Et nemus gratum fidibus sororum  
 Eximit sacrae Cereri dicatus  
 Frigidus humor,

Quem bibt nullo satiata potu  
 10 Gens sub Arctois temulenta terris  
 Legibus diris sua dans ad aequas  
     Pocula lances?  
 Vel furens densis Boreas pruinis  
 Plectra concussit sua flabra iactans  
 15 Inde per Veltas Venedesque crudos  
     Murmura spargens,  
 Qua maris fertur trifidus sub undas  
 Vistulae gurges Tanarusque praeceps  
 Et Memus vastis sinibus receptus  
 20 Exoneratur?  
 Inter extremos ea terra tractus  
 Orbis algentes speculatur Arctos,  
 Nulla qua caeli facies nec ulla  
     Sidera vernant,  
 25 Sed stat immoto polus altus axe  
     Noxque sub longis agitur tenebris,  
     Dum petit torvum breviore Phoebus  
     Limite Caprum.  
 Tristior canis nivibus rigescens  
 30 Terra non Austros Zephyrosve sentit,  
     Nubibus largis iacit aut tepentes  
     Iuppiter imbres.  
 Cernères nullis habitare tectis  
 Vulgus incomptum gelidis sub oris,  
 35 Sed fero ritu specubus rigentes  
     Protegit artus.  
 Vidimus tectum corio bovino  
 Corpus et ramis salicis recinctum,  
 Corticis duri rigidas tegebat  
 40 Subere plantas.  
 Ibat intonsis rigidus capillis  
 Squalido vultu et fruticante barba  
 Et genis macris cava subsidebant  
     Lumina frontis.  
 45 Cum vocaretur, fugiebat hirto  
     Ore congressus, potuit nec ulla  
     Voce tardari fugiens sub altae  
     Devia silvae.  
 Tertium Phoebus reparavit ortum,  
 50 Dum vagi silva vehimur silenti,  
     Non avis nostros oculos morata est  
     Nec fera visa est.

Pellibus molles habitant sabelli,  
 Hermulus candens nitidusque mardrus,  
 55 Quos parens rerum glaciosa contra  
     Sidera vestit;  
 Hos vagum vulgus sequitur nivosis  
 Saltibus crudos stomachos foventes  
 Carne, quam nullus focus expiavit  
 60      Flamma nec ussit.  
 Nemo ibi Baccho calet aut nocenti  
 Defluit luxu nec honore quisquam  
 Turget, armato duce nemo quaerit  
     Caedibus aurum;  
 65 Non ibi magno vocat aere vulgum  
 Vas neque in templis tuba constrepenti  
 Personat buxo, revomunt nec ullos  
     Organa ventos;  
 Non ibi iuris temerat peritus  
 70 Civicas causas, medicus nec atros  
     Exigit nummos, populum nec urget  
     Vertice rasus;  
 Vivitur nummo sine iurgioso,  
 Qui fuit multis mala causa mortis  
 75 Excitans lites, gladios et enses  
     Fraudis et artes.  
 Quam foret felix hominum propago,  
 Si foret tali moderata lege!  
 Sed volant nullo retinente freno  
 80      Crimina mundo.

*5. Ad Apollinem repertorem poetices,  
 ut ab Italis cum lyra ad Germanos veniat.*

Phoebe, qui blandae citharae repertor,  
 Linque delectos Helicona Pindum et  
 Et veni nostris vocitatus oris  
     Carmine grato!  
 5 Cernis, ut laetae properent Camenae  
 Et canant dulces gelido sub axe.  
 Tu veni incultam iudibus canoris  
     Visere terram!  
 Barbarus, quem olim genuit vel acer  
 10 Vel parens hirtus Latii leporis  
     Nescius, nunc sit duce te docendus  
     Pangere carmen,

Orpheus qualis cecinit Pelasgis,  
 Quem ferae atroces agilesque cervi  
<sup>15</sup> Arboresque altae celeres secutae  
 Plectra moventem.  
 Tu celer vastum poteras per aequor  
 Laetus a Graecis Latium videre  
 Invehens Musas voluisti gratas  
<sup>20</sup> Pandere et artes.  
 Sic velis nostras, rogitamus, oras  
 Italas ceu quondam aditare terras,  
 Barbarus sermo fugiatque, ut atrum  
 Subruat omne.

*6. Ad Augustinum Olomuncium,  
 dum apud puellam consenesceret.*

Divos in redditum tui  
 Iamdudum celeres prospero numine  
 Votis imprecor omnibus,  
 Ne caelo residens Iuppiter aureo  
 Diro fulmine saeviat  
 Neu multa quatiat grandine semitas  
 Neu laetos modo solibus  
 Involvens tenebris praeripiat dies  
 Immensasque vias tibi  
<sup>10</sup> Et calles faciens irremeabiles.  
 Sed tu nec tonitrus times  
 Nec vastam metuis Pallados aegida  
 Nec Martis rigidos equos,  
 Quamquam sanguineo pulvere ferveant.  
<sup>15</sup> Contemtor superum, cave,  
 Ne Fortuna vagis passibus ingruat!  
 Nemo tutus enim diu  
 Mortalis superos temnere praevalet;  
 Nam non ira Iovis trucis,  
<sup>20</sup> Non Mars horridior, non alias deum  
 Celsum perdidit Ilion  
 Et regis Priami Pergama subruit,  
 Sed quae sidere pulchrior  
 Inviso Paridis iudicio nitet.  
<sup>25</sup> Heu, pastor temerarie,  
 Ne molli penitus pectore saucus  
 Externaque calens face  
 Oblitus redeat, quam prius arserit.

7. *Ad Phoebum caniculari tempore.*

Parcius tandem radiis coruscis  
 Exeras vultum nitidis reconde et  
 Solibus flamas modo saevientes  
 Aethere ab alto !

<sup>5</sup> Finditur dudum nimio calore  
 Sicca terrarum facies renidens  
 Appetens imbrem gelidique torpent  
 Flumine fontes.

Namque vesani sitiens Leonis  
<sup>10</sup> Sidus exortum est Procyonque fervens,  
 Morbidos menses et amica leto  
 Tempora praestant.

Uritur multo calefactus igne  
 Aeris tractus, vaga conquerunt  
<sup>15</sup> Flabra ventorum, tacuere surda  
 Murmura ponti.

Arva iam squalent, sitit ager undas,  
 Bacchus exustis coquitur sub uvis,  
 Dum tenet nimbos Aquilone clauso  
<sup>20</sup> Iuppiter atros.

Quis mihi latos Scythiae rigentis  
 Porriget campos, ubi frigus altum  
 Torpet et strictis glacie morantur  
 Flumina ripis ?

<sup>25</sup> Vel quis algentem nivibusque et auris  
 Uvidum Rhenum mihi iam bibendum  
 Vel nives Hebrei dabit aut gelatas  
 Ponit in Alpes ?

Barbaras labens Tanais per oras  
<sup>30</sup> Vix meos aestus rapidos et ignes  
 Atque flammatem nimium calorem ex-  
 Stingere posset.

Frigidas vel me, placidae Camenae,  
 Ducite hinc grati nemoris sub umbras,  
<sup>35</sup> Quo lyrae insultant choreasque ducit  
 Pulcher Apollo,

Hic ego silvis fruiturus altis  
 Deprecor, Musae, date Pegaseis  
 Ungulis ruptis latices et ora  
<sup>40</sup> Spargite nostra !

*8. Ad locum suaे nativitatis.*

Bacchicos inter generatus olim et  
Francicos colles, ubi Menus altis  
Flectitur ripis et aprica silvis  
Culmina vestit,

<sup>5</sup> Hic ego Bacchum nitidam et Minervam  
Barbito molli cecini frequenter,  
Vallibus dulcis mihi voce ubi re-  
Sponderat echo.

Plurimum refert, ubi quis creatur  
<sup>10</sup> Et loco et quali genitore pastus  
Quisque praceptor tua succulenta  
Pectora condit.

Circulus vitae mihi quartus instat,  
Quo quadragenus mutuatur annus,  
<sup>15</sup> Et petit praeceps mea vita stantes  
Littore Gades.

Qualiter Panno volitante curru  
Fertur in praeceps triugis equabus,  
Sic volans acto mea vita cursu  
<sup>20</sup> Fertur ad Orcum.

*9. Ad Mercurium, ut se placide vita functum  
ad campos Elysios ducat, διαβατηριον.*

Nostrum evolantem corpore spiritum,  
Hominum et deorum nuntius aliger,  
Duc, duc, rogo, per Ditis aulam  
Elysiis statuens sub arvis,

<sup>5</sup> Quo turba vatum carminibus vacat:  
Hic bella cantat magnifica tuba,  
Alter gemit dulces amores,  
Hic lyrics modulatur odas.

Simul migrantes ingredimur specum,  
<sup>10</sup> Qua se relaxant atria Tartari,  
Hoc praeferas funale, opacas  
Intrepidi ut penetremus oras.

Barba rigescens dum petitur senex,  
Qui plena conto cymbia transvehit,  
<sup>15</sup> Huic, oro, des naulum, poetam  
Sistat ut ulteriore ripa;

Nam nulla mecum est sumpta pecunia,  
Migrans reliqui nil nisi carmina,  
Nudus sub orbem matre fusus

Flavente ramo hinc guttura Cerberi  
 Compesce monstrorum et, quae foribus cubant,  
 Ad regis aulam quae severam  
 Excubias faciunt perennes.

- 25 Regem datum est dum comminus aspici  
 Et sceptra raptae fulgida coniugis  
 Et iudices tres ore torvos  
 Cum Furiis colubris recinctis,  
 Tu blanda regi verba dabis, rogo,  
 30 Labem peracti si fero criminis,  
 Ut leniter purgetur omne,  
 Quicquid in has tulimus tenebras.  
 Purgata postquam est umbra volatilis,  
 Non me sub atri fluminis alveum  
 35 Sistas, ubi umbrae mille ad auras  
 Aetherias cupiunt reverti  
 Rursusque notis corporibus frui  
 Cassaeque vitae ferre pericula  
 Atque artibus suetis  
 40 Incipere et renovare formam,  
 Sed, candidato quod melius mihi est,  
 Duc me ad superni culmina principis,  
 Quis Iuppiter cum dis beatus  
 Nectare et ambrosia levatur,  
 Beatus illic saecula ut exigam,  
 Cunctis supremus dum adveniat [dies]  
 Malos sub aeternos caminos  
 Atque bonos statuens Olympo.

*10. Ad Blasium Hoeltzel Caesaris Maximiliani scribam et auricularium paraenetice.*

- Blasi Romuleis beate Musis,  
 Omnes quem celebrant sacri poetae  
 Germani, Latii, Boemi, Britanni  
 Et quos Gallia, Baeticae vel ora  
 5 Doctos educat Herculis ad undas,  
 Patronus quibus omnibus videris  
 Cunctis officium tuum offerendo,  
 Dum stas Caesaris ante cultus ora,  
 Rem gratam facies tuo poetae,  
 10 Olim Celtica quem creavit ora,  
 Si centum numeres mihi ducatos,  
 Quos Caesar mihi largiter dicavit.  
 Sic nostris venerabile in libellis  
 Nomen perpetuum feres sub aevum.
-

## CONRADUS CELTIS PROTUCIUS

### LIBER EPODON

---

*1. Ad Caesarem Fridericum,  
dum contra Turcos principes convocasset.*

Aurata nobis iam rediere tempora  
Laudata priscis vatibus,  
Dum Fridericus Caesar invictissimus  
Vocat in senatum principes,  
5 Ut hostium nunc imminentem turbinem  
Prosternat altis viribus.  
Sic fertur olim convocasse Iuppiter  
Suos in axe caelites,  
Dum turba fratrum, Terra quos creaverat,  
10 Caelestibus minas dabat;  
Hic Ossam et hic dum Pelion audax corripit  
Ponens Olympi vertice  
Et iam propinquam viderant Phoebi rotam  
Et fixa caelo sidera,  
15 Mox voce vasta Typhoeus fratres monet  
Turbare de solio lovem.  
At ille blandus ore torvos intuens  
Superba risit pectora  
Manu rubenti Cyclopum ferocium  
20 Trisulca poscens fulmina  
Et mox coruscum utrumque caelum personat  
Tonantis atro fulgere  
Trinacriae et sub rupibus Terra editos  
Saevis tumulavit ignibus.  
25 Sic, Caesar, incliti senatus arbiter,  
Coetu pio cum principum  
Velis, precamur, hostis immitissimi  
Frenare saevos impetus,  
Nostro propinqui qui polo iam saeviunt  
30 Summum lacescentes lovem.  
Dum cernimus caelo vagabunda sidera  
Certis oriri legibus,  
Dum piscis exilit squamosus aequore  
Crescunt vel hortis gramina,  
35 Dum flexuosis Ister ibit cornibus  
Euxina pulsans littora,  
Laudes tuas tollemus altum ad aethera  
Tuis triumphis supplices.

*2. In maledicuum lusorem loquitur talus.*

Quid me immerentem, latro, vexas tesseram  
     Caecus furenti pectore?  
 Quid, quid tonantis imprecari fulmina  
     Tristesque morbos pestium?  
 5 Quid ore iactas impudenti numina  
     Et impiorum carceres?  
 Quid, torve, torques frontis atrae lumina  
     Ut ursus aut ferox aper?  
 Non causa sum, latro, tuae vesaniae  
 10     Nec dignus ira numinum.  
 Seu quina gestem vel quaterna stigmata  
     Vel ultimum senarium  
 Sive unitates computabitis ultimas,  
     Auctore te sic ludimus.  
 15 Laetis studebis ergo verbis ludere  
     Vesana cogens pectora.  
 Ni feceris frenans temerarias manus,  
     Te quarta vexo Mania.

*3. De lusore, qui in ludo sibi evelli fecit dentes.*

Lusor sedebat pertinaci spiritu  
     Pecuniarum prodigus,  
 Donec crumenis omnis exhaustus foret  
     Origo nummus litium.  
 5 Exuta mox deponit atrox pallia,  
     Cultros et enses trusiles,  
 Quae cuncta postquam ludioni ademerat  
     Fortuna versans omnia,  
 Mox, quae cutem vicina vestis texerat,  
 10     Femoris pedumque vincula  
     Sorti reponit cuncta poscens numina,  
     Lucro ut faverent praesides.  
 Sed nullius cum senserat praesentiam  
     Divis perosus furcifer,  
 15 Sese execrabat nudus omni corpore  
     Frendens minaci murmure.  
 Tandem reclusis pandit ora rictibus  
     Dentesque caesivos tenet,  
     „Hos, o sodalis, nunc, mihi fidissime,  
 20     Lucrove damno suscipe!“  
 Quos cum furenti perdidit vesania,  
     Evulsit atrox forpice  
 Clamans cruentus: „Hos caninos insuper  
     Tibi pono, perversissime,  
 Adversa quos si sors mihi nunc Dempserit,  
     Statuam molares uvidos.

Nec terreas liberali protinus  
 Tibi fronte solvam singula,  
 Nam dentibus natura cunctis prodiga  
<sup>30</sup> Duos decem et ter contulit.“  
 Haec elocutus sanguinolento gutture  
 Veniunt ministri carceris  
 Furvam trahentes sub speluncam perditum  
 Crebroque pulsant verbere  
<sup>35</sup> Et, roscidam dum Sol reduxit lampadem,  
 Ab urbe flagris ductitant.

*4. Fabula de invido et cupido.*

Invidus et cupidus diverso sidere nati  
 A rege postulabant larga munera.  
 Rex his pollicitus, quod primus ferret, id alter  
 Duplicato felix obtineret munere.  
<sup>5</sup> Sed mox exoritur saevo cum murmure rixa,  
 Prior quis esset inter ipsos ordine,  
 Sorte placet tandem tractare volubile Fatum,  
 Quem vellet intueri claro sidere;  
 Invidiae postquam stimulis arriserat acto,  
<sup>10</sup> Clamat furenti concitatus pectore  
 Ille: „Mihi dextri terebretur luminis orbis!“  
 Avarus ille mox duos ut eruat.  
 Rex utriusque videns oppletas criminis mentes  
 Exegit utriusque poenas debitas.

*5. Ad Venerem tres amores suos commemorans.*

Quid mea sollicitis infestas pectora curis,  
 O diva fluctuoso nata gurgite,  
 Cum modo septeno Celtis tibi milito lustro  
 Tuus dies noctesque fidus armiger?  
<sup>5</sup> Barbara Sarmaticis Hasilina experta sub oris  
 Primis meis amoribus nunc nobilis;  
 Vix mea bis denas hiemes tunc viderat aetas  
 Et sex sub annis succulentis militans.  
 Elsula fluctivagum dein decantata per Istrum  
<sup>10</sup> Munus juventae fortioris torserat.  
 Sed, cum Rhenanas nuper vagus erro per oras,  
 Aetas virilis Ursulae me iunxerat,  
 Ursula lascivis mulcens mea pectora verbis  
 Vita licentiore cogens vivere,  
<sup>15</sup> Dum iubet, ut fluidae capiamus gaudia vitae,  
 Bacchi calentis subministrans pocula.  
 Inde mihi blandum praeberet sub nocte soporem

Cumque suo captum pectus suspirat amore  
 20 Altusque pulsat spiritus praecordia,  
 Mox mihi blandiloquis infligit basia labris  
 Luduntque linguis ora sensim mutuis  
 Non secus, ut, blandum referunt cum sidera solem,  
 Sub axe verno dum redit favonius,  
 25 Hibernis nivibus glacies resoluta liquescit  
 Fluuntque saxa percritis humoribus;  
 Ursula sic tota mollit mea pectora nocte  
 Rheni decus puella formosissimum.

*6. De infante ad ignem foco.*

Exectus infans matris ex ergastulo  
 Salemine vivas laetior,  
 Velut Lyaeo bis tibi nativitas  
 Per fata fertur aspera.  
 Sed dispar utriusque Clotho neverat  
 Primordiorum stamina;  
 Nam patrium Nyseus expertus femur  
 Menses statutos conficit,  
 Te mater ad sextam ferebat Cynthiam,  
 10 Reliquas sed olla perficit,  
 Prunae calentis olla dum stetit foco  
 Uterique reddebat vices,  
 Repleta quae lactis fuit pinguedine  
 Et unctuoso smigmate.  
 15 O vita curis subiacens gravissimis  
 Et tristius nos deseris!

*7. Ad Henricum Cuspidianum,  
 quod nihil aeternius et clarius litteris sit.*

Quondam monebas scribere, quid carmina,  
 Henrice, nostra conferant,  
 Dum fata nos suprema contumulaverint  
 Lucemque caram clauerint,  
 5 Tunc mox per ora vulgi fama spargitur,  
 Quot quisque nummos liquerit,  
 Hinc uniuscuiusque vita quaeritur,  
 Quali sit acta tramite.  
 Est, qui studebat ampliandis aedibus  
 10 Et comparandis censibus  
 Hortisque, quos piscosus amnis irriget,  
 Silvasque densas implicat,  
 Armenta equorum fortium quibus educat,  
 Oves, boves et bucculas;  
 15 Alius relinquit bracteatas laminas  
 Fusasque in auro imagines,

Possessor alter hos post mortem ut auferat  
 Vel ventre mox deglutiat.  
 Est alter, ut vivat perenni tempore,  
 20 Amata gignit pignora,  
 Nomen futurum quis sibi per saeculum  
 Sperat per omne cognitum.  
 Obliviosum cuncta sed tempus vorat,  
 Nummos, agros et fornices  
 25 Prolemque delet et genus clarissimum,  
 Ni scripta servent mortuos.  
 Testatur hoc quondam beata Graecia  
 Et Roma victrix gentium,  
 Quae praeter illa nil dedere posteris,  
 30 Quam quae leguntur chartulis.  
 Haec me perennem provehent ad gloriam  
 Aeoque longo prorogant.  
 Cum corpus hoc et ossa nunc vigentia  
 Saxo cubent sub frigido,  
 35 Dicet viator: Haec sepulchra quem tegunt,  
 Aeterniora liquerat,  
 Quam quae rudes et imperiti sordidis  
 Curant suis laboribus.

*8. Quod solo amoris chronicō morbo  
in vita laboraverit.*

Iam bis quaterna lustra sano corpore  
 Fata mihi dederant aetate lapsa lubrica,  
 Dum nulla febris aut podagra tristior  
 Presserat incoluem nec pestis omnibus minans.  
 5 Quos sospitatis esse dicunt praesides,  
 Iure deos veneror gratesque dico plurimas.  
 Nec latro tot regionibus volubilem,  
 Dum peregrinus eram bis quinque in annos, obruit.  
 Tutum suo per barbaras duxit plegas  
 10 Numine Mercurius, qui vatibus favet suis.  
 Nec ursus umquam vel lupus vel saetiger  
 Corpora dissecuit vel dente vulnus intulit;  
 Canis semel sed, ut mihi praedixerat  
 Plena furoris anus, suras momordit pendulas.  
 15 Ad iudicem me nemo etiam citaverat  
 Aera locata petens iniurias vel conquerens  
 Nec quisque testem me vocavit conscientum  
 Esse sui sceleris vel veritatis lubricum.  
 Prorsus beato vita cursu fluxerat  
 20 Hactenus incolumi, me luppiter sic provehat.  
 Sed temporalis, quod queror, morbus mea  
 Pectora semper habet membrisque totis insidet,

Quem nullus umquam succus aut herba impotens  
 Nec peregrinus odor a mente nostra dispulit,  
 25 Non ipse, qui memoratur aegrorum pater,  
 Sive Machaonius vel clarus arte Hippocrates,  
 Sed sola, quae me sauciavit candidis,  
 Ursula, luminibus, me sospitem reddet mihi.  
 Haec, si paroxysmus tremore percito  
 30 Membra mihi quateret, blando fugaret osculo.

*9. In Bassareum medicum.*

Quid canibus similis rabido me murmure laedis  
 Vastis premens latratibus  
 Denigrasque meam rabioso gutture famam  
 Nostris Camenis obstrepens,  
 5 Putrida cui sanies confuso felle veneni  
 lecur respargit invidum  
 Invidiaeque malum pallor cui plurimus ore  
 Pectus resignat tabidum,  
 Quo mihi saepe novae praestabis semina laudis  
 10 Victoriasque plurimas?  
 Crescit enim virtus, dum duris casibus acta est,  
 Marcens sine adversario;  
 Quod, si de Roma non pulsus Naso fuisse  
 Ponti remensus littora,  
 15 Non tot liquisset praeclera volumina vates  
 Cunctis legenda saeculis  
 Et, Maro si patrios non amisisset agellos,  
 Eius nec essent carmina  
 Et fuga, quae totiens Ciceronem exegit ab urbe,  
 20 Excussit ingenii faces.  
 Nam, veluti parva scintilla nascitur ignis  
 Forti excitata anhelitu,  
 Sic, me dum variis iactat Fortuna periclis,  
 Virtutibus viam facit;  
 25 Sic invicta feris virtus agitata procellis  
 Suis calescit viribus;  
 Utque ferox Mavors consurgit maior in arma,  
 Ut hostis insolens ferit,  
 Sic, me dum lingua caedis truculentus iniqua,  
 30 Tibi tela concitas mea,  
 Vulnera quis toto tibi lata canentur in orbe,  
 Quae nemo sanet clinicus  
 Nec tibi vulnerea pollens chirurgeus arte  
 Notas cicatricum levet.  
 35 Ast hedera et laurus viridanti ut semper honore  
 In frondibus florent suis,  
 Sideris hiberni quos nec violentia laedit  
 Aestivus aut solis calor,

Ast alii Graios imitati forte poetas  
 Comoedias, tragedias reliquerant,  
<sup>15</sup> In lyricis princeps superans sed Horatius omnes  
 De fonte Graio cuncta vates hauserat.  
 Inter Germanos mea sic, rogo, carmina durent,  
 Ut Italos Horatii sub finibus.

*13. Comparatio gladiaturae et moralis philosophiae.*

Ars militaris nostra tradit corpora  
 Armis tueri et gestibus  
 Docetque pulchris praecavere motibus  
 Hostis prementis ubera.  
<sup>5</sup> Moralis illa sic sophia praecipit  
 Mentem imperare affectibus  
 Nec bella nostris saeviora mentibus  
 Quam pestis illa pectoris;  
 Nam mens, suis dum concitata motibus,  
<sup>10</sup> Maiora miscet proelia,  
 Quam cum frementi pulsat actus impetu  
 Aries potentum limina  
 Vel, quae calenti saxa iactat pulvere,  
 Bombarda opus Teutonicum.

*14. Septenaria sodalitas litteraria Germaniae*  
*περὶ τῆς ἐβδομάδος.*

*a) Septemcastrensis Danubianus.*

Si clara Graeciae recenseo lumina  
